Ant. Elter
forma Urbis Romae
e Orbis antiqui facie
lissertatio I et II
r. univers. Bonn. 1891

NATALICIA

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I II

IMPERATORIS GERMANICI

AB VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

D. XXVII M. IANVARII A. MDCCCLXXXXI

IN AVLA MAGNA HORA XI PVBLICE CONCELEBRANDA

INDICVNT

VNIVERSITATIS

RECTOR ET SENATVS

INEST
ANTONI ELTER DE FORMA VRBIS ROMAE DEQVE ORBIS ANTIQVI FACIE
DISSERTATIO PRIOR

BONNAE
EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO



Roma caput mundi regit orbis frena rotundi

Ab Urbe Roma principium. cuius neque historiam enarrare neque antiquitates aut mores explicare neque sempiterna in genus humanum merita laudare in animo est, sed monumentum tractare instituimus et clarissimum et praestantissimum singulari fortuna conservatum, quo ipsius Urbis quae antiquitus fuit facies atque figura continetur, formam dico i. e. ichnographiam seu delineationem Urbis Romae marmori inscriptam, musei Capitolini insigne decus. quam scimus Septimio Severo et Caracalla imperantibus i. e. ante a. p. Chr. n. 211 et post Septizonium a. 203 dedicatum factam et prope Forum Romanum aedificii quod inde nomen cepit templum Urbis Romae muro qui est pone ecclesiam SS. Cosmae et Damiani adfixam fuisse, cuius fragmenta saeculo XVI reperta postquam apud Farnesios fuerunt saeculo circiter et dimidio abhinc in museum Capitolinum translata et scalarum muris immissa sunt ut indicat inscriptio adiecta haece: 'fragmenta ichnographiae veteris Romae in Romuli templo ad viam sacram olim effossa et ad Farnesianas aedes translata Benedictus XIV p. m. in Capitolio munificentissime collocavit anno 1742', ubi omnium adhuc admirationem et studium movent quotquot Urbis aeternae monumenta adeunt. habemus igitur formam Urbis Romae aetatis Severianae, modulo ad ducentesimam et quinquagesimam partem redacto tabulis marmoreis incisam, templa deorum delineata videmus, nomina inscripta, eximia monumenta a populo Romano in Foro exstructa quae hodie exstant recognoscimus, conspicimus et opera publica et insulas domorum, thermas, basilicas porticusque et cum circis theatrisque aquarum ductus, hortos, horrea et macella atque tabernas, lacus et balnea, areas et vias vicosque, insulam alveumque Tiberis et scalas quibus ad amnem descendebatur, scalasque rursum quibus ad cenacula domorum pergulasque saliebant, minima quaeque satis fideliter expressa et accurate repraesentata. quae quamvis minuta fragmina supersint et

disiecta membra speciosissimae imaginis et in his admodum pauca quae aut nominibus inscriptis aut ipsa forma distinguere liceat, tamen Urbem demonstrant eandem atque ipsi scriptores antiqui dixerunt velut Cicero de leg. agr. 2, 35, 96 'non optimis viis, angustissimis semitis', aliis partibus tamen ut est apud Tacitum ann. 15, 43 'dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis' exstructam, 'ac patefactis areis additisque porticibus quae frontem insularum protegerent' ut post incendium Nero fecit.

fragmenta formae Capitolina quorum quanta sit apud topographos laus atque pretium nemo non intellegit, omni qua digna sunt arte edidit Henricus Iordan in libro eximio 'Forma Urbis Romae regionum XIIII. Berolini 1874'. quae postea reperta sunt, velut forma aedis Castorum et ea quae a Farnesiis muris faciendis olim adhibita anno 1888 in lucem redierunt neque tamen adhuc publici iuris facta sunt, vel quae postea viri docti ad coniungenda et illustranda fragmenta contulerunt, diligenter indicata habes apud eum qui recentissimus Urbis Romae topographus exstitit Ottonem Richter (v. Mueller Handbuch der Alterthums-Wissenschaft 3 (1889) p. 725 sqq.; velut Trendelenburgius et Lancianius egregie viderunt coniungenda esse fr. 37 et 86 quibus continetur clivus Victoriae et vicus Tuscus cum aedificio quodam Severi et Caracallae, aut Lancianius admirabili acumine composuit fr. 10. 11 et 109 porticum Liviae cum thermis Titianis exhibentia, et porticus Pompeianae praeter fr. 30. 31 recuperavit fr. 110 (cf. Iord. adn.), aut denique Huelsenus fr. 163 et 144 coniunctis perspexit describi partem domus Augustanae in Palatino.

quorum inventis quae comparari possint ego non habeo, pauca tamen sunt quae addere posse mihi videor ea de quaestione quae semper imprimis studiosorum mentem instigavit quaeque ni fallor omnium est gravissima, quae est de directione formae Urbis Romae. hoc enim iam inter omnes constat formam Capitolinam certo non ita fuisse dispositam ut nos nunc situs urbium terrarumque depingere solemus i. e. ut in summa regione sit septentrio, in ima meridies, a sinistra parte occidens, a dextera oriens, verum siquidem nomina ita inscripta esse existimanda sunt ut qui formam muro adhaerentem prospiceret recte de plano legere posset, summum fuisse inter orientem et meridiem. primus observavit et certissimis argumentis demonstravit Huelsenus qui fr. 10. 11. 109 a Lancianio composita vidit ansam praebere ad quaestionem diu multumque agitatam persolvendam. itaque quo res facilius perspiciatur, illa fragmenta oculis lectoris subiciam, quae in calce dissertationis expressa reperiet, nam ab his ipsis optime nostra proficiscetur disputatio. videmus porticum in monte positam viasque ad eam ferentes, videmus vicos magnamque molem operis publici. quid fragmenta significarent mox intellectum est. nam porticum Liviae scimus in regione III collocatam fuisse, fr. 109 autem quae restant operis publici nulli alii aedificio conveniunt nisi conspicuis thermis Titianis ibidem sitis quarum rudera amplissima adhuc servantur. unde apparuit porticum Liviae olim a latere septentrionali thermarum fuisse. habes autem in his simul et specimen artis atque rationis qua delineata est forma Capitolina, et variae fortunae qua illa fragmenta ad nos pervenerunt. nam fr. 10 et 11 quae anno 1867 prope ipsum parietem in quo olim collocata fuerunt una effossa sunt recte coniuncta dedit Iordanus, sed desunt frustula inter hoc et illum, coniungenda tamen fuisse cum iis etiam frr. 109 dudum reperta primo obtutu apparet; fr. 109 autem solum ex parte exstat (fr. 109 [b] et 109 [c]), altera a Trendelenburgio et Iordano ex delineatione Vaticana saeculo XVI facta suppleta est quae

servavit fr. 109 [a] et 109 [b]. eximiam Lanciani coniecturam qui rettulit Gattius immemor tum fuit tabulae XXXVII, 3 Iordani qua addidit ille imaginem fr. 10 et 11 statim post fragmenta reperta pictam, qua continentur quaedam in tabula II, 11 omissa. inest enim in margine (x) ut fere in marginibus fuerunt foramen ferris aptum quibus tabulae marmoreae quae murum latum circiter m. 23, altum m. 13 i. e. m. quadr. circiter 300 contegebant regerentur atque continerentur, ut etiam in ipso muro latericio foramina illa clavorum adhuc discernuntur (v. Iordani tab. XXXV, 1). animadvertit Huelsenus et intellexit indicari hoc margine fragmenti nostri caesuram sive commissuram tabularum quibus fere metrum unum latis, longis duo et alternis ordinibus positis i. e. erectis transversisque, ut ex ipsis foraminibus parietis colligitur, forma maxima constabat, caesuras autem sequi lineas horizontales et verticales q. d. ipsius muri et aedificii consentaneum est. accedit quod ichnographia inest ut diximus thermarum Titianarum quarum rudera satis certa hodieque supersunt, adest denique inscriptio PORTICVS LIVIAE quae ut de plano legatur ratio postulat. unde conclusit vir sagacissimus et haec fragmenta et formam Capitolinam universam directam fuisse ex oriente brumali (nam errore calami pro SEst scriptum est SOvest bullet. dell' inst. 1889 p. 2) i. e. axem habuisse eundem quem Circus Maximus et via Appia, quorum nomina ne secundum latera Circi et viae aut ab imo ad summum incisa aut a summo ad imum exarata fastidium excitarent intuentium ita columnae instar scripta sunt ut littera litterae subiecta sit sicut in vasis Panathenaicis aliisque videmus.

atque rectissime ille quidem. sunt tamen alia quibus res confirmatur et omnis dubitatio tollitur. namque quod margines lapidum vidit certum indicium esse totius dispositionis, quod mirum sane fugisse cum alios tum Iordanum qui margines notavit fr. 170. 179. 184. 51. 178, exstant margines integri etiam aliorum fragmentorum quibus nota Urbis monumenta describuntur, quamquam foramina clavis ferreis adaptata propter calcem parietum Capitolinorum non iam dispiciuntur. velut est nobilissimum fragmentum 36 Saeptorum Iuliorum quae secundum Viam Latam disposita fuisse constat, cuius margo quem recognoscere nobis videmur sive commissura cum ipsa Via Lata angulum efficit circiter 35 graduum, idem vero ad amussim interest inter Viam Latam et Circum Maximum; de inscriptione autem fr. 34 et 35 infra dicendum erit. habemus porro fr. 31 porticum Pompeianam, quod ita fractum est ut de margine dubitari non possit. iam cum porticus illius theatro Pompei adiectae situs sat cognitus sit, facili dimensuratione assequimur hanc quoque tabulam si alicuius formae pars fuit, ei insertam fuisse quae Circum Maximum exhiberet perpendicularem. quid quod iam ex spatio quod est inter Saepta et porticum Pompeianam quodammodo de tabulae seu tabulis quae olim interfuere coniecturam facere licet.

sed ut ad fragmentum porticus Liviae infra propositum redeamus, quoniam fundamenta satis certa parata sunt, videamus quid inde ad alia fragmenta rectius intellegenda peti possit. ac primum quidem notandum est titulum aedificio neque suprascriptum esse neque subscriptum verum inscriptum, non tamen imo aut medio spatio, sed parti superiori. atque hanc quadratarii illius qui formam sculpsit consuetudinem fuisse ex fragmentis superstitibus facile colligitur. ita enim more vere antiquo nomen scriptum est fr. 4 LVDVS | MAGNVS, fr. 49 BALNEVM | CAESARIS, fr. 52 BALNEum COTINI, fr. 53 HORREA | CANDELARIA, fuit inter columnarum ordines superiores fr. 31 porticus

pompeiaNA, in fr. 76 mutilo . . . NAE ·, fr. 88 diaETAE Iuliae [?], exstat denique in fr. 37/86 aedificii spatiosi cuiusdam ad vicum Tuscum siti areae superiori incisum SEVERI ET AnTONINI AVgG | NN; etiam in fr. 26 BASILica VLPIA verba quamquam transversae inscripta paullulum elatiora videntur.

alterum praeterea in imagine porticus Liviae cognoscitur idque gravius. nam inscriptiones quam maxime fieri potest cardines aedificiorum ad quae pertinent sequi videmus. quod tamen in nostro fragmento non observasse lapidarium in conspicuo est, ascendunt enim paullum litterae ut ita dicam atque a positione porticus declinant. quod etsi cui forsitan in delineatione parum accurate ut aiunt confecta haud ita magni esse videatur, tamen ea re explicatur quod opifex non tam propter situm formae aut tabulae marginem delapsus esse quam id egisse videtur ut titulus legenti aptior esset i. e. cum porticus ipsa deviaret, ad axem parietis et totius formae magis accommodaretur; atque ita declinavit ille ut qui cardo formae fuerit dubium esse nequeat.

quae cum ita sint iam apparet ex directione formae et consuetudine lapidarii penitus perspecta de ceteris fragmentis rectius iudicari posse. ita enim homines comparati sumus ut sua quemque trahat consuetudo, partim ea a maioribus accepta et aevi moribus conformata, partim propria indole prout fert fortuna constituta, artioribus autem quam nos antiquitus erant legibus adstricti, neque vero vel in fabro hominis naturam recognoscere pudeat. itaque hoc primum agamus ut ex ceteris quoque fragmentis quem sequatur usum eliciamus, deinde quae his rebus confici videantur colligamus. iam sicubi spatium deficiebat, nomen ne tum quidem subscripsit, sed supra posuit. cuius rei luculentum exemplum est fr. 33 portiCVS OCTAVIAE ET FILippi uno versiculo exaratum et super porticus secundum columnas scriptum. duae erant porticus, superior Octaviae cum templis quorum tituli suus cuique superscriptus est [AE]DIS IOVIS minoribus propter spatii exiguitatem litteris, maioribus AEDIS IVNONIS, Philippi inferior cui inest templum et nomen item supra scriptum AEDIS HERCVLIS MVSArum. optime igitur nomina in intervallis collocata neque ichnografia aedificiorum litteris intersecta aut obscurata. adsunt porro nobilissima fragmenta Fori Romani de quibus infra videbimus. deinde fr. 95 in quo miro sane casu servatae sunt litterae eaedem quae in fr. 33 perierunt PORTICus supra ut videtur et intra eam AEdes; conferas etiam fr. 6 AEDES duobus templis minoribus superscriptum et forsitan fr. 48 baLINEVM AMPELIdis, fr. 29 THEATRVm neque enim quae supra sunt ad theatrum pertinent, fr. 5 cASTRA MISE naTIVM alia.

iam ubi nomen mediae imagini inseruit operam dedit ut et a sinistro et a dextro latere aequum fere distaret. cuius rei exempla afferre nil attinet. idem fecit nisi forma aedificii aut situ vetabatur cum nomen duobus aut pluribus versibus exarandum erat. velut fr. 53 HORREA | CANDELARIA et imprimis fr. 37/86 ubi verba cum per aream quoquo modo scribere liceret, ita scripta sunt,

cliVVS VICTORIAe

[Basilica iVLIA]

vicus Tuscus

SEVERI ET An
TONINI AVg G
NN

[Circus mAXimus]

Velabrum

ut litterae NN, nam alterius versus suam

esse rationem quivis videt, ad amussim subiectae sint medio versiculo primo. qua re demonstratur hoc cuius nomen ignoramus aedificium eiusdem Severi qui formam ipsam faciendam curavit itemque inscriptionem insignem locum obtinere. atque vicus Tuscus cum angulo recto transversus sit Circo Maximo, nonne putabimus hanc inscriptionem cum nomine ipsius Severi areae ut solet superiori secundum murum vicum Tuscum prospicientem tanta cum cura ita incisam esse ut prorsus in plano esset atque ut verbo utar horizontalis? iterum igitur atque iterum quae porticus Liviae fragmento edocti sumus confirmantur et corroborantur.

iam vero ut singula deinceps persequamur, his observationibus colligitur ludum magnum ubicumque situs fuit directum fuisse ad cardinem formae seu Circi Maximi; conficitur res de fr. 28, nam apparet infra verba THEATRVM | MARCELLI olim caveam fuisse utpote maiorem aedificii partem nunc deperditam, atque cum nonnisi paullulum declinet inscriptio a cardine Circi Maximi neque tamen ut ille in columnae formam describatur, iterum documento est Circum vere fuisse Capitolinae formae cardinem. at contra opinionem vulgarem demonstratur hecaTOSTYLVM fr. 31 non alteram porticum fuisse a Pompeiana diversam. adiacet autem porticus Pompeiana theatro Pompei cuius situm novimus, cuius nomen THEATRVM pompEI scriptum est secundum hemicyclii partem sinistram, qua si formam animo repraesentamus tangit lineam horizontalem, quod ipsum quoque ut intuenti in plano esset factum esse in aperto est. porticus igitur et nomen porticus pompeiaNA ut solet inter columnarum ordines superiores insertum declinant, hecaTOSTYLVM autem eandem porticum declivem sequitur neque lineam quae infra posita est eamque minus deviantem quam Hecatostyli partem esse existimarunt. nomen maioribus litteris infra adiectum documento esse videtur quanta admiratione porticus illa Pompeiana etiam tum ab omnibus digna haberetur. eandem ob causam fr. 60 MACELLVM iudicabimus inscriptum fuisse operi cuius forma periit, fr. 87 MAGNI pertinere ad aream quandam, de fr. 44 ADONAEA dubia res est quorsum nomen referendum sit.

fr. 3 conspicuum est confinio duarum regionum. nomina insunt primae MVTATORIVM et duodecimae AREA RADICARIA atque ita disposita ut par est describenti formam Severianam illud sinistram hoc dextram partem tenens. intercedit larga

VIa nova


sive Appia fuit ut visum est Richtero, cuius litterae in columnae formam collocatae item atque areae radicariae inscriptio viam indicant a linea Circi non distantem qualis est Appia. mutatorii tamen nomen declinare maluit quam longius ab ipso opere abesse ita ut cui aedificio tribuendum esset dubitari posse nullo modo pateretur. item fr. 45 AQVE DVCTI VM arcubus Claudiae ut videtur aquae ita apponitur (a dextera ut solet itemque fit spinae in Circo Maximo) ut ad horum ductum exactum incertum non sit quo pertineat, licet aqua ipsa quantum quidem scimus a cardine Circi Maximi paullum discedat. item anxie cavit ne male referretur inscriptio fr. 59 quae ita melius intellegetur, nam cum formae cuidam circulari nomen apponendum esset, exaravit ita lAVACH ut monumentum litte-
r A
ris superne quasi coronaretur.

est tamen ubi monumenti a cardine declinantis titulus ut in porticu Liviae vidimus in obliquo ponatur quo magis in plano sit. id quod cadit inprimis in fr. 27 in quo quamquam nil fere superest nisi CIRcus | FLAMInius litterarum tamen ordo atque dispositio indicat eas neque spinam Circi sequi neque ei esse transversas. ac si ponimus medium


versiculum alterum medio priori ita subiectum fuisse ut hac linea significetur axis Circi, angulus efficitur circiter 25 graduum quo re vera Circus Flaminius distat a Maximo. proinde ut theatro Pompei subscriptum ita Circo Flaminio inscriptum nomen cum in modum iudicabimus ut contra ipsius aedificii formam de plano legi posset utque et initia et exitus utriusque versus aequum abessent a lateribus Circi. erat autem inscriptio Circi in parte superiore intuenti formam i. e. orientali hemicycliique exiguum servatum est vestigium lineola quae ante vocem FLAMInius conspicitur.

alterum scripturae e formae directione derivatae indicium inest in fr. 51. HORREA LOLLIANA ita secundum lineas fabricae exarata sunt ut decet, a dextra parte margo integer exstare videtur, quare cum de alveo Tiberis dubitari nequeat Iordanus recte locum adsignavit prope Testaceum montem et ni fallor inscriptionem optime cum forma quam ille credebat meridionali convenire putavit. aliam tamen fuisse directionem formae sat indicant litterae ipsae, quoniam non solum exeuntes secundi versiculi primum excedunt, verum priores etiam recedunt quare non mirum est ab altera parte muri intermedii exstare solum litteras LOL, ab altera LIANA. de margine autem iam fallax repertum est indicium.

iam ut ad ea fragmenta transeamus quorum inscriptiones cum plures sint altera alteri ex transverso apposita sit, magnus numerus est in ichnographia Fori Romani. nomina ita scripta sunt ut infra exhibentur. ac nomina Castoris Saturni Concordiae ipsis aedibus ex more lapidarii supra imposita sunt atque ita fere aedes ipsae sunt constitutae (cf. Nissen mus. rhen. 1873 p. 535) ut ex formae directione tituli in plano sint, basilicae solum (in qua disponenda 11 gradibus aberratum est cf. Iordan. Forma p. 15, 2 nisi



forte in schedis Vaticanis peccatum est) inscriptum est idque quo commodius legatur secundum longitudinem illud quidem, sed contra omnem regulam a basi propius distans et formam si respicimus ab imo ad summum conversum. unde colligitur formam ita exhiberi ut qui legeret ei basilica Iulia totaque illa pars Urbis sinistra esset et inscriptio quae propter spatium latus longum basilicae sequitur infra posita et oculis tamquam propius admota esset. atque eandem ob causam Graecostasis nomen monumento subscriptum est. item res se habet in fr. 25 et 26



ubi nomen basilicae quamquam 10 vel 15 gradus declinat a cardine sequitur latera, lIBERTATis atrio sive quidquid fuit inscriptum

seu subscriptum est ita ut formam intuenti a sinistra manu esset.

quare quaestionem movet fr. 6, quod de




aede Telluris cogitans Iordanus regioni IV attribuit. quod utut est hoc certe ex more quadratarii concluditur aedes suspicere, non tamen vicum in Tellure in plano stetisse. quae res optime convenit cum directione templorum quae ita fere ab antiquis constituta fuisse compertum habemus ut solem qua dedicationis die oriebatur prospicerent. itaque cum sinistrorsum magis converti non possint ne verbum in Tellure resupinum iaceat neque dextrorsum ne templa sub meridiem cadant iam certo quodam modo conicere licet aedes supra propositas (et eadem directione coniunctas ut aedes Iovis et Iunonis porticus Octaviae, aedes Honoris et Virtutis ante Portam Capenam) dedicatas fuisse circa solstitium hibernum quod Romae gradus circiter 302 abest a meridie. quorum deorum fuerint dubium non est cum in hemerologiis ad d. 13 Decembris adnotari videatur 'Telluri et Cereri in Carinis' (cf. Becker p. 524. 528).

iam vero res ad liquidum perduci posse videtur de fragmento 2 difficillimo.



Cornificiae domum regionis XII fuisse Notitia docet, aedes Minervae et in I et in XIII erant, utraque autem regioni XII adiacet. intervallum regionum in forma nullo modo notatum videmus, non tamen esse viam Appiam quae intercedit quaque regiones I et XII seiungi existimant ipsis angustiis spatii et aedificiis utrimque positis demonstratur. regionis XIII cur non meminerit Iordanus nescio nisi quod aut ipsa inscriptione MINERBAE aut similitudine fr. 3 seductus aut sua de directione formae falsa opinione deceptus esse videtur. at celeberrimum fuit templum Minervae in Aventino, et in hemerologiis ad d. 19 Martis legitur 'artificum dies quod Minervae aedis eo die est dedicata', contra sollemnia sacra celebrari solita 'Minervae in Aventino' ad d. 19 Iunii adnotatur (cf. Ov. fast. 6, 722). eo die quem ut teneamus ratio postulat sol oriebatur Romae circa gradum 236 a meridie ut fit ab astronomis numeratum i. e. prope solstitium aestivum. quae cum ita sint perquam facili dispositione assequimur aedem Minervae in forma subiectam fuisse domui Cornificiae, at confinium regionis XII et XIII quod ipsa valle qua mons Aventinus dividitur effici consentaneum est, penitus congruere cum linea columnarum quae voci CORNIFICIAe subsunt. rem simplici ductu linearum aliquo modo significatam oculis subiciam



itaque iam profligata quaestio est, nam et CORNIFICIAe suum sequitur ordinem neque ichnographiam turbat (nam solum fr. 88 inscriptio diaETAE Iuliae lineis formae miscetur), et MINERBAE cum propter exiguitatem spatii neque inscribi neque supra scribi posset ab imo ad summum secundum fron-

tem templi ut fieri solet, ita tamen exaratum est ut partim extra partim intra posito verbo cautum esset ne quo pertineret incertum relinqueretur. illud ergo summum opificis fuisse studium dicemus qui tanta cura id egit ut ubi fieri posset inscriptio aut de plano legeretur aut secundum ipsa aedificia poneretur, semper tamen ne a suo opere seiuncta videretur quam maxime cordi habuit neque eam libertatem sibi concessam putavit qua nunc omnes utimur cum nomina qua spatium suppetit modo plana aut transversa, modo ascendentia aut decurrentia figuramus. hoc autem iam nacti sumus ut et Cornificiae domus et Minervae aedes Aventina (dedicata ante a. 547 ab u. c. a. d. XIV Kal. Apriles, ab Augusto refecta cf. Aust de aedibus sacris populi Romani diss. Marpurg. 1889 p. 19) quibus fere locis exstructae fuerint exploratum habeamus.

leviora ut leviore pede percurramus, fr. 5 quae supra cASTRA MISE naTIVM exstant . . . LICAL (?) | . . . MENTARIA certe non suppleri possunt armaMENTARIA cum haec regioni II et Amphitheatro conveniant neque ea formam intuenti castris Misenatium prope thermas Titianas sitis superiora esse possint. fr. 21 si in schedis Vaticanis recte servatum est, titulus rEGIA item in plano exstitisse videtur atque cetera nomina Fori Romani, declinavisse vero a forma ipsius monumenti. fr. 61 quo famosa illa verba NAVALEMFER perhibentur, cum in fragmento superstite NA litterae distent a formae lineis si inscriptio in plano stetit et Tiberis amnis a sinistra parte fuit ut fuisse probabilius videtur, nescio qua regione navale illud fuerit nisi forte supra pontem Aelium, contra si Tiberis dexter fuit inscriptionem legenti satis bene convenit cum loco Campi Martii quo vulgo Navalia fuisse putantur ita ut ipsius campi spatia vacua in fragmenti parte sinistra compareant.

vicos par est ita indicari ut nomina ipsum artum vicorum spatium sequantur, descendant itaque ac rursus ascendant prout loci natura atque situs postulat, ut fit in clivo Victoriae fr. 37 qui cum re vera saliat ad Palatinum in forma Capitolina descendit. cf. fr. 7. 9. 63. 93. quodsi vicum bublarium in hunc modum fr. 62 designatum videmus

. . . B L A R I V S ,

sequitur cum secundum cardinem formae situm fuisse ut viam novam aut Appiam fr. 3 et Circum Maximum fr. 39. 40.

restant fragmenta et gravissima et longe omnium difficillima 34. 35. 36 Saeptorum Iuliorum, quae ut rectius forte quam adhuc factum videtur intellegerentur ea re solum perfecimus quod sedulo in artem atque quasi manum lapidarii inquisivimus. quae si in Iordani tabula XXXVII qua fragmenta Capitolina synoptice exhibuit eo quem demonstratum habemus ordine conversa — Iordanus enim animo sibi finxit meridiem in summo fuisse quae adhuc vulgaris est opinio — litterae illae magnitudine insignes turpiter inversae iacere videntur — nam de margine constare supra diximus — quamquam nulla omnino causa apparet cur litterae intercolumniis insertae hanc potius quam illam partem sequantur. quae res adeo a veri similitudine totiusque formae quam exploravimus indole abhorret, ut ne cum iis faciamus qui de his fragmentis desperantes iam ullum certum ordinem atque dispositionem formae esse negant atque ad ludibrium nulla lecturorum habita ratione confectam esse profitentur, fragmentis suam sedem propriumque ordinem utut fiet recuperandum esse existimemus.

ac primum quidem titulum iuLIA qui utri lateri porticus conveniat intercolumnia quam clarissime demonstrant, nullo tamen modo credi potest dexterae quae est si inscriptionem sequimur simulque inferiori quae est formam aspicienti parti inditum fuisse, nam

ut contra morem opificis est, ita nil obstabat quin recte faceret nomenque exararet qua Saepta initium capere viderentur i. e. a sinistra parte porticus. an putabimus nomen qua collocat Iordanus medium spatium tenere, porticum quantum ab regione Circi Flaminii tantundem etiam ultro versus septentrionem porrectam fuisse? quod ne statuamus vetat Frontinus cum dicit (aq. 22) aquam Virginem secundum frontem Saeptorum (exstant arcus in palatio Sciarrae) in Campo Martio isse finitum, quem locum primus recte interpretatus est Gattius bullet. comun. 1888 p. 62. itaque frustulum 35 iuLIA ei parti quae Iordano superior est adiciendum esse apparet. quod recte nos facere insuper argumento certissimo sunt litterae iulIA eadem parte superiore sed inter columnas inferiores leviore scalpello incisae seu potius scariphatae quas optime explicavit Iordanus cum contenderet signum fuisse lapidario quo ordine atque quo loco quamque inscriptionem postea insculperet; ac quod primum inferius scripsit indicium est hoc latus a parte Circi Maximi propius afuisse. sed hac re quaestio de directione inscriptionis nondum absolvitur. accedit tamen aliud idque et subtilius simul et gravius. mirum enim est et quod etiamsi casu factum sit tamen egeat explicatione, columnas a pilarum ordinibus externis non aequum distare, maius esse intervallum ab una quam ab altera parte qua ipsa re quo frustulum 35 iuLIA pertineret cognitum est. signum id quidem manus levis et imperitae, quod tamen explicari nequeat nisi nobiscum reputamus solere eum qui talia currente stilo exaret prima quaeque i. e. quae sinistra parte sunt a qua incipere solemus nimis propinqua ponere, ita ut in fine spatium supersit. nam eam dixi hominum esse naturam ut vel in fabrorum operibus certus mos atque consuetudo manifesto appareat. rem autem futilem ne iudices, eodem plane modo ei qui Saeptorum seriem in schedis Vaticanis delineavit cum eo quo iam tum directa fuisse credebantur ordine depingeret accidit ut ab altera parte sed item scribenti dextera intervalla maiora relinqueret. itaque hoc mihi effecisse videor, fragmentum cum insculperetur ita fuisse dispositum ut pars qua litterae iuLIA exstant sinistra esset i. e. ad orientem conversa, totum igitur fragmentum invertendum esse, quo fit ut litterae oblique quidem propter ipsarum porticuum directionem positae sed lectorem spectantes et ab initio Saeptorum quod in forma videtur incipientes ascendant, id quod cum totius formae natura ceterorumque fragmentorum dispositione optime congruit.

iam scio equidem quibus difficultatibus haec dispositio implicata esse vulgo iudicetur. porticum a parte viae *del Corso* orientali in cryptis palatiorum et ecclesiarum a Veneto ad palatium Sciarrae sepultam iacere communis opinio est, Viam Latam ipsam nostro fragmento exhiberi multi censuerunt. quae Iordani sinistra non est, si exstat altera est eaque latior cum Via Tecta ei contigua, ita ut etiam ordine fragmenti inverso de columnarum situ nihil mutetur. verum quominus invertamus maxime obstare videtur statio cohortis I vigilum quae fuit prope plateam SS. Apostolorum quam Iordanus contendit iam locum non habere. quae tamen non propius abest quam si Iordanum sequimur alia aedificia quorum situs novimus quaeque ut Serapaeum fr. 32 in forma Capitolina repraesentata fuerunt. neque video cur non cohortem in ipso fragmento exstare putemus prope locum quo a Via Lata ad Altam Semitam deverti videtur. contra angulus quem spatiosa aedificia seu areae fr. 36ᶜ cum porticibus faciunt optime mihi sequi videtur montis Quirinalis declivitatem quamquam num rudera eodem angulo deflexa et item disposita quae ibi adhuc exstant cum illis conveniant peritioribus iudicandum relinquo. hoc

unum addo. etiam a Viae Latae parte orientali magnas olim fuisse porticus documento est itinerarium Einsidlense p. 560 Iord. quo se excipiunt 'forma Virginis fracta, sci Marcelli. iterum per porticum usque ad Apostolos'. itaque locus Saeptorum quem formae Capitolinae natura flagitat recuperatus, fragmentis sua sedes restituta esse videtur. fr. 34 autem SEPTa si voci iuLIA et porticui supra positum fuit i. e. a Viae Latae parte occidentali qua patebat Campus, ea re explicatur quod Saepta Iulia contra quam vulgo opinantur non regionis IX sed VII fuerunt ut infra demonstrabimus.

cum Saeptis Iuliis coniunctum est fr. 32 SERAPAEVM ('Isis quae proxima surgit Ovili') cuius reliquiae paucis abhinc annis effossae sunt. inscriptio fragmenti mutili si integra est — atque integra videtur cum nomina in forma non soleant hunc in modum

ISAEVM
ET
SERAPAEVM

discerpi neque in fr. 2 domus | CORNIFICIAe aut fr. 6 AEDES telluris [?] ita discerpta fuisse existimo — cum posita sit in parte monumenti inferiore ita ut factum vidimus in basilica Iulia, sequitur eam item ab imo ad summum directam fuisse sive potius in modum vocum SEPTa iuLIA atque etiam minus inclinata ascendisse neque fragmento ichnographiam eius partis contineri quam iudicavit nescio an ipsis Saeptis deceptus Lancianius bullet. comun. 1883 p. 54, nam si ea quam ille dixit regione esset, item atque apud Iordanum SEPTa iuLIA litterae supinae iacerent, id quod prorsus ab indole formae alienum esse iam satis superque demonstratum est.

itaque aut ego fallor aut persoluta res est, omnibus fragmentis in quaestionem vocatis formam Capitolinam vidimus pro certissimo haberi posse ita directam fuisse ut summus esset oriens solstitialis hibernus utque Circum Maximum pro cardine habere liceret. doleo me rem non iam ita oculis subicere posse ut tabula confecta et totius formae status et res quam demonstravimus uno obtutu comprehendatur. Iordanum autem non negabimus egregie erravisse cum meridie in summo collocato formam contenderet tanta incuria confectam esse ut saepius velut in ipso Circo Maximo 45 gradibus a vero deviaret, nam ipsis his 45 gradibus demptis formam pro illis temporibus omnibus fere numeris absolutam repperimus. re de qua agere instituimus ad liquidum perducta non longus ero in aliis quae de fragmentis formae Severianae dicenda sunt adiciendis. velut quod Lancianius lucida ratiocinatione ductus animadvertit fragmenta servata partium formae esse inter se vicinarum, optime ea re confirmatur quod monumentorum quae Notitia enumerat regionis III fere omnium fragmenta exstant, ut MONeta fr. 94, amphitheATRuM fr. 112. 65. 66, LVDVS MAGNVS fr. 4, vicus SVmMI CHoragii fr. 7, thermae titiANae fr. 109 (et 13 ut videtur) cui a Lancianio feliciter coniunctum est fr. 10. 11 PORTICVS LIVIAE, cASTRA MISEnaTIVM fr. 5, forsitan etiam isis et seraPIS fr. 98. (cf. Lanciani bullet. comun. 1885 p. 157.)

sed haec hactenus. plura et meliora docebunt quibus Romae degere licet,

at mea dilectis fortuna revellitur oris —

quos speramus mox in lucem edituros esse fragmenta illa sat multa a. 1888 reperta, quosve audimus aut fragmenta ipsa Capitolina denuo examinaturos aut fragmentorum magnum etiam numerum post Iordanum felici fortuna coniunxisse. equidem ut quae scripsi proferrem ea re commotus sum, ut causam Huelseni observatione iam certam meis observatiunculis ita firmarem ut nullus omnino dubitandi locus relinqueretur quidque de forma Urbis Capitolina statuendum esset iam pro explorato proclamaretur ne

dubitationibus quae in hoc campo studiorum fere regnant, argumentum multo gravius, immo gravissimum quod iam in eo est ut aggrediar conturbare liceret. namque quae adhuc exposui prolusionis tantum instar fuerunt, forma Capitolina quomodo directa fuerit quoniam compertum habemus, suo loco relinquenda erit. nam formam Urbis Romae dico item atque Capitolinam dispositam nunquam fuisse, quomodo fuerit maior quaestio est et quae multa nos edoceat plerisque adhuc ut videtur prorsus incognita. cui quaestioni fundamenta parata, obstacula omnia avolsa, liberum vacuumque campum constitutum antea esse volui.

dico igitur formam Urbis Romae qualis quidem antiquitus esse solebat aliter dispositam fuisse, a more sollemni descivisse Septimium Severum cum formam quae nunc in Capitolio servatur faciendam curaret. quod unde compererim vel quibus rationibus fretus contendam si quaeris, formam equidem nullam habeo ineditam quam proferam, argumenta tamen proferam quibus nemo facere poterit quin adstipuletur. nam superest adhuc forma Urbis Romae dudum cognita et ab omnibus saepe in rationem vocata, si non delineata, at ita ab antiquis descripta ut facili opera eam redintegrare possimus. exstat enim Augusti distributio Urbis VII montium in bis VII seu XIV regiones quae inde ab illo tempore per multa saecula suis numeris indicabantur. XIV autem regionum ordo non secundum historiam aut alia eius generis argumenta constitutus est sed est mere topographicus, regiones enim ita succedunt altera alteri, ut posterior quaeque priori contigua sit. quare derivatas esse has XIV regiones ex certa partitione formae facile intellegitur, formam autem quam distributioni subiectam esse statuimus ex ipso numero regionum restitui posse quis non videt? at quis hominum per deos immortales cum partes Urbis numeris signare conatur, initium facturus est a Porta Capena quae regio ima est ad dexteram quaeque continetur angulo tabulae quem nos ni fallor omnium ultimum habere solemus? quis porro seriem continuabit Caelimontio et ceteris? nos enim cum situm urbium aut fines terrarum describimus, incipimus ut par est a summa regione partis sinistrae et inde aut in dexteram vertimus aut ad inferiora pergimus. quod item omnibus temporibus homines fecisse consentaneum est, fecisse Augustum ipsa tabula docet. nam sume sis in manum quamvis formam Urbis earum quibus hodie utimur, invertas velim, iam erit summa a sinistra parte regio I Porta Capena, subsequitur II Caelimontium, huic porro supposita est III cui nomen Isis et Serapis, tum dextera ei est IV templum Pacis, deinde inferior rursus a sinistra V Esquiliae, iam pergitur dextrorsum ad VI quae appellatur Alta Semita, VII quae est Via Lata; tum numeratur media pars Urbis continuato itinere ab imo ad summum ita ut superior quaeque pars deinceps describatur a sinistra ad dexteram, VIII Forum Romanum et IX Circus Flaminius, X Palatium et XI Circus Maximus, XII Piscina Publica et XIII Aventinus, restat quae et dexteram ripam Tiberis et dexteram partem formae obtinet, occidenti subiecta XIV Trans Tiberim.

res adeo clara et perspicua mehercule, ut iocari videamur dum talia lectoribus proponimus, tam simplex ut vel pueris notam eam esse debere iure existimaveris; tamen equidem quis hominum animadverterit aut expressis verbis dixerit non invenio. immo cum multi essent in forma Capitolina explicanda, certe cur hac aut illa directione veteres in delineandis formis usi essent vix unquam quaesiverunt. itaque constat formam Urbis Romae XIV regionum Augusti ad meridiem directam fuisse, Severianam sollemnem formae Urbis modum non reddere sed suam

qualemcumque rationem sequi, distinguendum esse inter formam illam ut praeclaram ita prorsus singularem et veterem formam qualis erat inde ab Augusto. nam Augustus et mensurarum et formarum fundamenta iecit, formam autem quam una cum distributione Urbis eum instituisse constat, eo quem diximus modo directam fuisse ita ut e regione i. e. in contraria seu summa parte esset meridies, imus septentrio, a sinistra oriens, occidens a dextera, iam credo ego dubitari non posse. itaque Urbis Romae formam recuperavimus Severiana multo et antiquiorem et digniorem, eam quae fuit Urbis XIV regionum cuius eandem apud veteres auctoritatem et per eandem saeculorum seriem usum fuisse censebimus atque in vigore fuit locorum Urbis secundum XIV regiones Augusti designatio. fuit autem sollemnis haec forma Urbis, ut uno verbo dispositionem comprehendere liceat, meridiana seu australis i. e. ad meridiem sive austrum directa.

neque vero res tam levis momenti est quam primo obtutu forsitan videbitur. nam si ea fuit forma Urbis Romae omnibus cognita et ea mentibus per consuetudinem inhaerens imago, iam apparet descriptiones Urbis quas habemus ab hac consuetudine pendere et hac ratione esse iudicandas. ita enim quibus assuevimus subiungimur ut vel ignari atque adeo inviti communem usum sequamur. nostrum autem est Urbis formam eam mentibus repraesentare quae antiquis e more fuit, nam aut ego fallor aut nisi harum rerum ratione habita quem locum ipsa Roma in antiquorum animis habuerit neque recte nec penitus perspiciemus.

atque exstat descriptio Urbis Romae XIV regionum aevi Constantiniani quam Notitiam vocare solemus, quam qui composuit ei par est cum monumenta Urbis secundum ordinem regionum enumeret eandem formam Augusti obversatam esse aut oculis subiectam fuisse. ut statim cognoscas quam vim habeat dispositio ea urbis quam in formis intueri consuevimus, sume Notitiae laterculum viarum p. 570 Iord., ita enim se excipiunt (praeter Traianam):

Appia
Latina
Labicana
Praenestina
Tiburtina
Nomentana
Salaria
Flaminia
(Aemilia
Clodia
Valeria)
Aurelia
Campana
Ostiensis
Portuensis (sec. minores quaedam).

vides viarum initium fieri ab eadem parte qua regionum, utpote quae ex eadem forma expressae sint eaque a meridie instituta, tum eodem modo ambitum Urbis describi quo factum est in partitione regionum; qua re etiam explicatur, cur Ostiensis Portuensem contra ordinem antecedat, nam ubi ad superiora reditum est priore loco nominanda videbatur ea quae a sinistra parte stabat, sequebatur dextera Portuensis. nos cum vias sive portas Urbis Romae describimus mirum non est ab contraria parte incipere solere velut Iordanus 1, 353 sqq. enumerat portas Populi (Flaminiam), Pincianam, Salariam, Nomentanam, Tiburtinam, Praenestinam, Asinariam, Latinam, Appiam, Ostiensem, Portuensem, Aureliam (item Richter p. 778); contra Forma U. R. p. 14, 1 ut aream Urbis quam forma Capitolina contineri opinabatur indicaret quoniam illam meridianam putavit planitiem dixit 'cuius extrema fuerint versus meridiem porta S. Sebastiani, versus septentrionem S. Laurentius in Lucina, versus orien-

tem castra praetoria et porta Maior, versus occidentem S. Petrus in Vaticano'.

ecce porro Notitiae catalogus VII montium p. 566

Caelius
Aventinus
Tarpeius
Palatinus
Esquilinus
Vaticanus
et Ianiculensis.

descriptio est diversa, tamen ex eadem forma derivata, nam a Caelio dextrorsum progrediens primum vertit ad Aventinum, deinde ad inferiores montes pergit, desinit in Transtiberinis. de Vaticano autem et quomodo ante Ianiculum insertus sit vide quae nuper exposui mus. rhen. 46 (1891) 135.

campi deinde sunt p. 567

Viminalis (reg. V)
Agrippae (VII)
Martius (IX)
Codetanus (XIV sec. minores).

atque haec de Notitiae appendicibus. ipsam Notitiam priusquam adeamus tenendum quidem est recentiorem eam esse magnifica illa forma Severiana in templo Sacrae Urbis ante omnium oculos adfixa, neque tantam formam marmoribus publicis incisam quicunque de Urbe Roma scriberet cum latere aut qui Romae degeret illum ea abstinere potuisse, quamquam egregie monuit Mommsenus Herm. 9, 279 ne temere nos veteres quibus libri praesto essent monumenta ipsa etsi in Foro posita velut fastos semper adiisse sumeremus. sed Notitiae multa sunt communia cum forma Severiana, velut inter pauca quae habet domorum privatarum nomina sunt Cilonis imperatoris Severi comitis et Cornificiae (multo illud maioribus litteris quam Minerbae scriptum) tamen qui Urbem secundum regiones XIV Augusti describeret ille formam, sive adhibuit tantum sive exemplum operi adiunxit, Augusteae similem secutus esse censendus est. verum quoniam in praesentia nil attinet utrum hanc an illam 45 gradibus diversam tenuerit, id potius videamus quomodo Urbis forma antiqua Notitia expressa sit.

atque in regionis III parte ea quam huius dissertationis initio tractavimus, iusto ordine exhibet

thermas Titianas et Traianas
porticum Liviae
castra Misenatium

quae prope thermas Titianas fuisse constat inscriptionibus. deinde in regione IV

colossum
metam sudantem
templum Romae et Veneris
aedem Iovis
viam sacram
basilicam Constantinianam
templum Faustinae
basilicam Pauli
forum transitorium
Suburam.

optime monumenta ab oriente fere ad occidentem posita deinceps describuntur. deest tamen templum Pacis quo ne offendas moneo ipsam regionem appellari Templum Pacis. tum in regione VIII Forum Romanum primum post monumenta quaedam ipsius Fori nominantur cetera fora huic subiecta, deinde ab ima parte fori Traiani ad dexteram cum flectitur pervenitur ad latus dexterum Fori quo iam ut decet non interrupto ordine enumerantur

templum Concordiae
et Saturni
et Vespasiani et Titi
Capitolium
miliarium aureum
vicus Iugarius
Graecostadium
basilica Iulia
templum Castorum
Vesta sqq.

quae egregie illustrantur fragmentis formae Capitolinae supra p. VIII propositis.

ne tamen longus sim in describenda et pertractanda Notitia — nam multa de ea dicenda sunt et implicatior interdum ordo est quam qui in transcursu demonstrari possit, ad nexum quo Notitia cum forma Urbis cohaereat perspiciendum hoc etiam maximi momenti esse videtur scire unde cuiusque regionis exordiatur descriptio. neque enim semper a summo initium fieri in aperto est (cf. reg. I II al.), neque qua parte in una regione desinit eadem transit ad proximam (cf. reg. III et IV al.), neque tamen sine regula procedi omnes sunt suspicati magis quam intellectum est. quamquam enim vix credo esse cui post alios Iordanus persuaserit Notitia contineri descriptionem finium, rem tamen video a nullo satis adhuc observatam esse, ad perspiciendum autem ordinem Notitiae necessariam.

velut regionis X in qua magnificentissima exstabant et exstant palatia Caesarum Notitiam si consideramus, qui fit quaeso ut ea quidem vix memorentur, contra res multo inferiores et memoriae adeo obscurae enumerentur? cuius rei nulla causa fuit nisi quod, ut iam in regione IV templum Pacis omitti vidimus quia in ipso titulo regionis sat indicatur, nomen regioni fuit Palatium, palatia ipsa inscriptione continentur. nam palatium semper ab antiquis fuisse dictum neque palatia, ut nunc Vaticanum palatium dicere solemus quamvis multa aedificia complectens bene observavit Richter p. 831. quod quam recte statuatur optime illustratur regione XI cui nomen Circus Maximus, nam inscriptioni statim subiunguntur verba 'qui capit loca CCCCLXXXV'. idem olim adnotatum fuisse ad titulum regionis IX qui est Circus Flaminius Iordanus probabiliter coniecit. at quae subsecuntur 'continet stabula numero IIII factionum VIII', stabula sunt ipsius Circi Flaminii, ut quae regio XI primo loco nominantur templum Solis et Lunae procul dubio sunt templa Solis et Lunae in ipso Circo Maximo constituta, neque iam ipse Circus Flaminius in descriptione monumentorum regionis IX expressis verbis iterum commemoratur, neque Circus Maximus in regione XI. iam vero sequitur haec nomina non pro titulo solum poni neque magis esse nomina regionum quam monumentorum praecipuorum a quibus iam antiquitus multae partes Urbis appellari solebant.

cui rei vix quisquam obstare iudicabit vocem 'continet' post nomen quod et titulum regionis et indicationem monumenti ipsius esse diximus collocatam, nam talia in catalogis rimari dedecet. quae cum itá sint e ratione est ab eodem monumento sive loco qui ut prae ceteris insignis pro nomine regionis collocetur quo simul situs appareat — nam numeri quibus nostra quoque aetas abutitur ieiunitatis sunt, vulgus nomine utitur — exordium descriptionis uniuscuiusque regionis fieri. quare perspicimus cur in regione IX post stabula primum afferantur aedes cum porticu Philippi, Minuciae, crypta et theatrum Balbi quae omnia in forma quam demonstravimus supra Circum Flaminium scripta sunt, tum demum Notitia vergat ad ea quae inferiora ad formae rationem dici possunt et non interrupto ordine — singula non persequor — monumenta paene omnia enumeret, quam finium descriptionem esse nemo sanus contenderit. desunt tamen quae vulgo huic regioni adsignant celeberrima Saepta Iulia quod notatu dignissimum esse mox videbimus.

regionis III nomen est Isis et Serapis, continet monetam, amphitheatrum, ludum sqq. templum Isidis ne in ea quidem iterum memoratur, neque unquam quod inscriptione significatum est in descriptione repetitur. sed apparet ipsum in vicinia monetae fuisse cuius inscriptiones prope S. Clementem repertae sunt simulque explicatur cur moneta prae-

cedat ingentem molem Amphitheatri, cui cur aevi Constantiniani homines monetam praetulerint, non intellegitur, quam contra Iseo illam aetatem minoris aestimasse non mirabimur.

item regio I Porta Capena quamquam incipit a confinio, incipit non ut fines sequatur, sed ut primum nominetur monumentum de quo totum illud suburbium ab Augusto Urbi adiectum nomen traxit. secuntur templum Honoris et Virtutis, Camenae cett., ordine igitur inverso contra situm formae, neque tamen ideo huius regionis formam aliter conversam fuisse censebimus cum iustus ordo sit ab Urbe per Portam Capenam via Appia egredienti. arcus autem quibus explicit huius regionis Notitia divi Veri et Traiani et Drusi, quoniam ut par est talium quoque rerum in Notitia ratio habita est, moneo ex ordine chronologico poni, nam ea primo loco collocare solemus quae propiora sunt, subiungere deinceps vetustiora et ab aevo nostro remotiora, arcum autem Drusi prope Camenas situm fuisse constat ex Capitolina basi vicorum.

iam Caelimontium quae regio II dicitur credo equidem item atque Palatium non tam montem quam palatium indicare, fortasse ipsum Claudium quod primum hac regione contineri dicitur. similiter regioni V apponitur nomen Esquiliae qui certus locus circa portam Esquilinam esse videtur, unde descriptio a lacu Orphei haud procul sito exordiens transit ad macellum Liviae, tum demum paullatim pergit ad ea quae formam intuenti sinistrorsum iacent atque superiora sunt, cohortem II vigilum, hortos Pallantianos, amphitheatrum Castrense sqq. eodem modo regione VI Alta Semita primum nominatur quod huic adiacet templum Salutis, deinde ad ea quae meridiem spectant convertitur et a summa ad imam regionem enumerantur Capitolium antiquum, thermae Constantinianae et quae secuntur usque ad thermas Diocletianas et cohortem III vigilum.

Notitiae ratione perspecta sperare licet ordinem interdum ad quaestiones topographicas solvendas maxime utilem fore. quibus rebus ne diutius detineamur, unum addo quia praetereundum non est, in regione XIV Trans Tiberim insolito modo initium fieri a parte septentrionali. nam primum continere dicitur

Gaianum et Frigianum
naumachias V [et Vaticanum

(nam ea fuit dispositio unde perversus Curiosi ordo derivatus est), deinde sequitur Ianiculum cum molinis. quae res indicio est quanti tum aestimatus sit ille locus — ut in III Isis et Serapis — quo saeculo IV erecta stabant templa pagana, surrexit prima basilica Christiana. itaque non temere mihi videor contendisse mus. rhen. 46 (1891) 133 hanc quam videmus illo tempore eius loci esse auctoritatem causam fuisse ut declivia vicinorum montium, cum antea aut omnes fuissent aut nullus mons Vaticanus, iam hoc nomine in numerum sollemnem VII montium ut est in appendice reciperentur, quod postea venerabiles memoriae principis apostolorum consecraverunt. nam licet monumenta vere Christiana in Notitia non reperiantur — sed quaenam fuerunt tum temporis aut numeranda erant scriptori qui Notitiam monumentorum antiquitatis componeret? — de honore loci inter veteris ac novae fidei addictos multum certatum esse apparet (cf. Preller Regionen p. 59). hoc igitur modo factum est ut in regione XIV ordo topographicus qui formae responderet desereretur.

restat regio VII Via Lata. quam non iam credemus ita appellatam esse quod Via Lata terminabatur et regio VII et IX, sed Viam Latam totam contineri regione VII ut VI Alta semita, neque solum contineri viam quam Latam fuisse dicunt, sed nomen id ipsum esse aedificiorum quae inaudito splen-

dore exstructa viam utrimque circumdabant, atque imprimis ipsa Saepta quae in Notitia silentio obrui nullo modo cogitari potest quae tamen in regione IX desiderari vidimus. neque iam mirum regionem VII in Notitia nobilibus monumentis tam destitutam videri ut dubitandum sit cur alteram Campi Martii partem alteri adeo veteres praetulerint, dummodo rectum sit quod statuimus Viae Latae nomine monumenta ab utroque latere posita comprehendi, Saepta dico et ab altera parte amplissimas illas porticus formae Capitolinae quas sub radicibus montis Quirinalis inter forum Traiani et campum Agrippae extendi coniecimus. ac ne quis rerum Romanarum imperitus dicat Saepta sine dubio in Campo Martio exstitisse, Campum autem Martium a Notitia in regione IX exhiberi, meminerit velim Campum qui proprie dicitur innumeris templis et porticibus paullatim eo restrictum fuisse ut nil fere superesset nisi quantum erat inter stadium Domitiani et trigarium quem locum in Notitia obtinet (cf. Lanciani bullet. com. 1883 p. 11 ann. dell' inst. 1883 p. 5). contra est ecclesia S. Mariae in Via Lata ipsis Saeptis imposita ad partem occidentalem viae quam iure mireris a regione VII appellatam inesse regioni IX. quae cum ita sint praeter Saepta — quae ut obiter moneam accurato calculo ex ichnographia facto assequimur lata fuisse pedes CC — etiam praeclara illa quae cum Saeptis coniuncta erant opera neque tamen in regione IX aut VII commemorantur eodem Viae Latae nomine contineri conicio, atque praesertim Diribitorium a Plinio n. h. 36, 101 inter VII Urbis miracula (cf. Iordan 2, 143) cum Circo Maximo, basilica Paulli, foro Augusti, templo Pacis relatum, cuius tectum etsi Tito imperante incendio consumptum neque restitutum est, famam tamen atque locum mansisse ipse Cass. Dio 55, 8 testis est. verum nomen etiam deprehendere mihi videor in formae Capitolinae

fr. 72 diRIbitorium
iVLium[?]

praegrandes enim litterae quibus ea inter praecipua Urbis monumenta fuisse (cf. Jordan. Forma p. 14) evincitur, quarum RI litteras fr. 37 SEVERI ET AnTONINI AVgG NN exaequant, VL vero quibus nihil aliud latere potest quam iVLium medium inter SEPTa et iuLIA fr. 34. 35 tenent locum. quamquam quomodo haec tria fragmenta inter se disponenda et utrum SEPTa cum porticibus fr. 33 an potius cum fr. 72 coniungenda sint (propter nota verba Ciceronis ad Att. 4, 16, 8 'efficiemus rem gloriosissimam: nam in Campo Martio Saepta tributis comitiis marmorea sumus et tecta (Diribitorii?) facturi eaque cingemus excelsa porticu') vix effici posse videtur.

verum ut iam finem faciamus de Notitia disputationis vides quam bene conveniat Notitia regionum XIV cum forma regionum XIV quam ex Augusti dispositione exploravimus, et quam per multa quae insequebantur saecula exempli instar fuisse omni formae Urbis Romae faciendae veri est simillimum. declaratum est insuper etiam in his rebus quae doctorum indoctorum disputationibus adeo turbatae sunt ut a plerisque cum nausea respuantur, si intra iustos fines nos coercemus certa atque solida enucleari posse. mitto igitur vigilum cohortes VII quaeque alia regionibus bis VII cum gravi horum studiorum damno misceri solent, nam alia aliarum rerum est natura atque origo neque quae in unum conflari debeant.

Augustus 'spatium Urbis in regiones vicosque divisit' (Suet. 30), vicorum magnus numerus legitur in basi quae dicitur Capitolina (Iordan 2, 585), sunt regionis I. X. XII. XIII. XIV. vicos qui sine dubio ordinem topographicum formae Augusteae secuntur, quoniam pauciores sunt quos novimus quam ut certum iudicium ferri possit, transeamus,

— unum adnoto omnes regiones suam quamque habuisse Fortunam, I obsequentem, X respicientem, XII mammosam, XIII dubiam, quae praeter I etiam in Notitia reperiuntur, additur Notitiae XIV Fortis Fortunae, cetera nunc non colligo — regiones autem quod a latere sinistro basis (i. e. dextero intuentibus) inscriptae sunt I. X. XIII, dextero XII. XIV, idcirco factum est quod illarum vici numero sunt 32, harum summa 34; quod gravius est I et quae cum ea sunt ut in forma mos erat a sinistra, XIV cum XII a dextera positae sunt.

itaque iam formam Urbis XIV regionum tenemus eam quam ipsi veteres tenebant quamque illorum mentibus consuetudine ita inhaesisse putandum est ut nobis nostrae formae urbium e septentrione directae animis adeo tamquam infixae esse solent ut tabulis inclinatis sive inversis omnia turbari videantur neque nisi difficulter singula distinguamus. quare etsi antiqui non tantum pendebant ab imaginibus oculis propositis quantum nostra chartacea aetas, vultu liberiore quoquo verso Urbem et spatia diei intuebantur, mirum tamen non est etiam hac in re inveterascente consuetudine hanc magis quam illam ut delineandae formae ita et aspiciendae Urbis et locorum describendorum rationem exstitisse. exemplis quoniam res optime illustratur, pauca quaedam promam. itaque Liv. 24, 47, 15 'solo aequata omnia (incendio) inter Salinas (sub Aventino) ac portam Carmentalem cum Aequimelio Iugarioque vico'. Suet. Aug. 100 mausoleum 'inter Flaminiam viam ripamque Tiberis exstruxerat'. Augustus cum mon. Anc. 19—21 enumerat opera publica a se facta aut refecta ordine utitur non topographico sed alio, tamen ubi basilicae Iuliae meminit 'basilicam' dicit 'quae fuit inter aedem Castoris et aedem Saturni' quae verba praeclare illustrantur vel fragmentis formae Capitolinae supra p. VIII propositis. Cicero de aggere Servii Tullii de rep. 2, 6, 11 'ut unus aditus qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem maximo aggere obiecto fossa cingeretur vastissima'. Dionys. Hal. 9, 68 de eodem aggere ἓν δὲ χωρίον, ἀπὸ τῶν Ἐσκυλίνων καλουμένων πυλῶν μέχρι τῶν Κολλίνων χειροποιήτως ἐστὶν ὀχυρόν. Liv. 26, 10 'Flaccus porta Capena cum exercitu Romam ingressus . . . inde egressus inter Esquilinam Collinamque portam posuit castra'. Dion. Hal. 2, 15 τὸ γὰρ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς Ἄκρας, quamquam sollemne erat 'Arx et Capitolium' (cf. Becker Topogr. p. 386). Ascon. in Cic. in tog. cand. p. 81 aedem Apollinis 'illam demonstrari quae est extra portam Carmentalem, inter forum holitorium et circum Flaminium'. Cicero de nat. deor. 3, 25 'Febris enim fanum in Palatio et [Orbonae ad] aedem Larum (summa Sacra Via) et aram Malae Fortunae Esquiliis consecratam videmus cf. de leg. 2, 11, 28 Plin. n. h. 2, 7, 16. Valer. Max. 2, 5, 6 'unum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum (in Esquiliis), tertium in summa parte vici Longi (in Quirinali) exstat'. Fest. p. 178 'Octaviae porticus duae appellantur quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia fecit, alteram theatro Pompei proximam' sqq.

quam late usus pateat ut exemplo monstrem, in Amphitheatri Flavii circuitu singulis deinceps arcubus notum est numeros inscriptos esse, quorum primus olim exstitit super arcum qui ab axe minori dexterior versus S. Gregorium in monte Caelio spectat, inde ad dexteram reliqui se excipiunt (cf. Lanciani bullet. comun. 1880 p. 215). iam vero cum aut ab axis maioris terminis aut a minoris exordiendum esset, initium factum est ab eo termino qui inter quattuor hos terminos meridiei proximus erat i. e. qui cum in forma summum a quo initium fieret locum teneret, etiam in ipso aedificio ceteris tamquam superior esse videretur. contra

in forma Severi cum cardinem mutaret summus evasit terminus axis maioris qui ad Lateranum spectat, cuius arcus olim signata fuerunt XIX et XX.

superest exemplum omnium maxime conspicuum Taciti hist. 3, 82 de milite Vespasiani 'tripertito agmine pars ut adstiterat Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit, tertium agmen per Salariam Collinae portae propinquabat; . . . proelia . . Flavianis saepius prospera. ii tantum conflictati sunt qui in partem sinistram Urbis ad Sallustianos hortos per angusta et lubrica viarum flexerant — nam sinistram partem Urbis qui dicit regionem portae Collinae, eī forma obversatur e meridie directa eademque atque et Augustea fuit et illa quam veteribus usitatam fuisse demonstravimus.

---

quod supra p. IV polliciti sumus in calce fragmentum formae Capitolinae nos exhibituros esse, quoniam zincographus Berolinensis promisso non stetit, dissertationī posteriori adiciendum erit.

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I II

IMPERATORIS GERMANICI

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCLXXXXI

A DIE XVI M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

INEST
ANTONI ELTER DE FORMA VRBIS ROMAE DEQVE ORBIS ANTIQVI FACIE
DISSERTATIO POSTERIOR

BONNAE


EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

RECTOR ET SENATVS


VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.



Forma Urbis Romae nunc in museo Capitolino servata, a Septimio Severo olim in templo Urbis Sacrae publice collocata quomodo directa esset postquam in dissertatione priore vidimus exordio sumpto ab eximio fragmento porticus Liviae, — quod speciminis instar quoniam nuper fieri non potuit hic exprimendum curavi — formam sollemnem Urbis Romae et Augusteam et eam quae omnium in usu fuit meridianam sive australem fuisse i. e. ita dispositam ut pars meridiana Urbis in forma summum locum teneret, inversam igitur fuisse imaginem Urbis et prorsus contrariam ei rationi qua nunc in depingendis formis utimur, argumentis ex ordine regionum XIV in quas Augustus Urbem divisit et ex scriptorum locis petitis demonstravimus. iam cum nos deceat Urbem cum delineamus formam eandem repraesentare quae veteribus usitata fuit idque quo magis moribus antiquis nos insinuemus studere debeamus ut primum quibus oculis illi Urbem intuebantur nos intueamur, operam dedi ut formam Urbis adicerem e meridie ut illis erat directam, qua ipsa quae nuper exposuimus optime illustrabuntur. quae quamvis imperfecta sit providi tamen ut et aliis nominibus utilior evaderet et quoniam ceterarum formarum exempla sat multa praesto sunt, hypsometris lineis ex Richteri tabula repetitis Urbem monstraret ʻin montibus et convallibus positamʼ (Cic. de leg. agr. 2, 35, 96), — nisi quod in Palatio Capitolioque opera male cessit neque omnes lineas viis murisque intersectas expiscari licuit — monumenta clariora indicavi, nominum ut par est secundum


VRBS ROMA
XIV REGIONVM -
Meridies
Septentrio
Via Appia
Via Latina
P. Metrovia
P. Asinaria
V. Labicana
V. Praenest.
Via Tiburtina
Via Nomentana
Via Salaria
Via Flaminia
Via Ostiensis
Via Portuensis
Via Aurelia
M. Testaceus
Aventinus
Caelius
Circus Max.
Palat
Oppius
Esquilinus
Subura
Cispius
Viminalis
Quirinalis
Alta semita
Necropolis arch.
Collis hortor.
(Pincius)
Via lata
Campus Martius
TIBERIS
Prata
Trans Tiberim
Ianiculum
Vaticanum
montes Vaticani
I
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIV

murus interior est Servii Tullii, amplior Aurelianus

Regio I

1 PORTA CAPENA
2 t. Honoris et Virtutis
3 Camenae
4 sepulcra Scipionum
5 arcus Drusi
6 cippus term. Claudii
7 domus Lateranorum

Regio II

CAELIMONTIVM
8 cohors V vigilum
9 *S. Stefano rotondo*
10 castra peregrina
11 caput Africae
12 clivus Scauri
13 Claudium
14 arcus Constantini

Regio III

ISIS ET SERAPIS
15 moneta
16 amphitheatrum Flavium
17 thermae Titianae
18 porticus Liviae
19 *sette sale*

Regio IV

20 TEMPLVM PACIS cum
t. Sacrae Urbis et
t. Romuli
21 basilica Constantini
22 t. Veneris et Romae
23 colossus
24 meta sudans
25 arcus Titi
26 t. Iovis Statoris
27 sacra via
28 t. Antonini et Faustinae
29 basilica Aemilia
30 forum transitorium

Regio V

ESQVILIAE
31 castra equitum singularium
32 amphitheatrum castrense
33 cohors II vigilum cum
hortis Pallantianis
34 t. Minervae Medicae
35 *auditorio di Mecenate*
36 *Trofei di Mario*
37 arcus Gallieni
38 lacus Orphei
39 macellum Liviae

Regio VI

ALTA SEMITA
40 Capitolium antiquum
41 thermae Constantinianae
42 t. Quirini
43 horti Sallustiani
44 campus sceleratus
45 thermae Diocletianae
46 cohors III vigilum
47 castra praetoria

Regio VII

VIA LATA
48 Saepta Iulia
49 arcus Domitiani
50 cohors I vigilum
51 arcus novus
52 arcus Claudii
53 campus Agrippae
54 arcus M. Aurelii et L. Veri
55 cippus term. Claudii
56 cippus term. Vespasiani

Regio VIII

FORVM ROMANVM
57 atrium et aedes Vestae
58 t. divi Iulii
59 t. Castorum
60 t. divi Augusti
61 *S. Teodoro*
62 vicus Tuscus
63 vicus Iugarius
64 basilica Iulia
65 t. Saturni et
t. Vespasiani
66 clivus Capitolinus
67 Capitolium
68 Arx
69 Tabularium et
t. Concordiae
70 Carcer
71 arcus Severi
72 Curia
30 forum Nervae
73 forum Caesaris
74 forum Augustum cum
t. Martis Ultoris
75 forum Traiani cum
basilica Ulpia et
columna Traiani
cohors VI vigilum

Regio IX

76 CIRCVS FLAMINIVS
77 porticus Octaviae cum
t. Iovis et Iunonis
78 porticus Philippi cum
t. Herculis Musarum
79 theatrum Marcelli
80 porta Carmentalis
81 forum holitorium
82 theatrum Balbi
83 porticus et
theatrum Pompei
84 *S. Nicolò a' Cesarini*
85 navalia
86 cippus term. Hadriani
87 cippus term. Claudii
88 trigarium
89 arcus Gratiani et Valentin.
90 sepulcrum Bibuli
91 Iseum et Serapeum
92 cippus term. Hadriani
93 t. Minervae
94 thermae Agrippianae
95 Pantheon
96 arcus Pietatis
97 basilica Neptuni et
porticus Argonautarum
98 t. Matidiae
99 thermae Neronianae et
Alexandrinae
100 odeum et
101 stadium Domitiani
102 ustrinum Antoninorum
103 columna M. Aurelii
104 ara Pacis Augustae et
solarium Augusti
105 mausoleum Augusti

Regio X

PALATIVM
106 Septizonium
7 domus Severi
8 stadium
9 t. Apollinis
10 paedagogium
11 t. Iovis Victoris
12 domus Augustana
13 domus Liviae
14 domus Tiberiana
15 Lupercal
16 clivus Victoriae

Regio XI

CIRCVS MAXIMVS
17 porta trigemina
18 *S. Maria Egiziaca*
19 t. Fortunae q. f.
20 forum boarium
21 Ianus quadrifrons in
Velabro

Regio XII

22 PISCINA PVBLICA
23 thermae Antoninianae
24 cohors IV vigilum
domus Cornificiae

Regio XIII

AVENTINVS
25 sepulcrum Cestii
26 cippus term. Vespasiani
27 cippus term. Claudii
28 horrea Galbae et Aniciana
29 emporium
t. Minervae
30 t. Dianae
31 Dolocenum
32 t. Lunae

Regio XIV

TRANS TIBERIM
33 Insula cum
t. Aesculapii
34 naumachia Augusti
cohors VII vigilum
35 molinae
36 *Settignano*
37 moles Hadriani
38 prata Quinctia
39 circus Gai et Neronis
(Phrygianum)
140 *valle dell' inferno*

PONTES

a Probi
b Sublicius
c Aemilius
d Fabricius et Cestius
e Aurelius
f Agrippae
g Aelius

regiones XIV catalogum apposui. ceterum quantum in reliquis quoque Richtero debeam qui primus tot locorum et monumentorum situm in formam recte coniecit neminem latebit, aquarum tamen ductus quos exhibet in parte falsos et viarum tralaticios omisi.

ad explicandam formam quam proposui et ordinem regionum ex forma illustrandum iis quae dissert. pr. p. XIII cum dispositionem formae Augusti significarem dicta sunt, pauca hoc loco addenda esse videntur. fundamentum divisionis fuit Urbs Serviana muro antiquissimo cincta et viae principales ex media Urbe ad portas et extra ferentes, ita enim et pars interior et spatia exteriora quibus interim per liberae rei publicae tempora Urbs ultra fines Servianos aucta erat ex natura loci aequaliter distribui videbantur. itaque VII Augustus instituit regiones intramuranas II. III. IV. VI. VIII. X. XI, VII extramuranas I. V. VII. IX. XII. XIII. XIV, nam Aventinum cum semper extra pomerium fuisset neque tum in pomerium recipiendus esse videretur, in duas regiones XII et XIII dividi et cum vastis suburbiis et ad dexteram viae Appiae et ad ripam Tiberis sitis coniungi placuit. deinde formam cum ad meridiem conversa esset ita partitus est ut nobilissimam viam Appiam austro subiectam et superiorem cum via Flaminia versus septentrionem directa et inferiore tamquam cardinem totius formae constitueret, VII essent regiones ab una, VII ab altera parte, orientales I—VII, occidentales VIII—XIV. iam quo ordine singulae regiones se exciperent, simplicissima res erat, nam ut prima numeraretur ea pars quae in forma summum locum obtineret et ad sinistram viae Appiae iaceret, ipsa ratio postulabat. sequebantur a meridie ad septentrionem intramuranae II a porta Capena ad Caelimontanam, III a porta Caelimontana ad Esquilinam (nam in III et IV limitibus indicandis fateor me imprudenter Richterum secutum esse), IV a porta Esquilina ad Viminalem, ita ut posterior quaeque praecedenti inferior esset. deinde extramurana V a porta Caelimontana ad Viminalem (nisi quod aliqua pars etiam intra muros prope portam Esquilinam ei adiecta fuisse videtur, nam lacum Orphei (38) etsi vici nomen fuit a S. Lucia in Selce ultra portam pertinuisse vix crediderim). sequitur VI intra muros (cui postea accesserunt etiam castra praetoria), VII extra, a contigua IX seiuncta via Flaminia, non tamen Via Lata ut dissert. pr. p. XVII sq. statuimus. iam ad superiora pergitur, VIII quae intra et IX quae extra murum est, illa ad sinistram, haec ad dexteram sita, tum X et XI adnumerantur item sociatae sed intra muros utraque, porro XII et XIII de quibus diximus ut quae sinistra esset priore loco poneretur aeque atque a sinistra parte Urbis initium factum est, agmen claudit quae restat trans Tiberim sub occidente sole XIV.

Augustus quarum rerum in distribuendis regionibus rationem habuerit ex Notitiae numeris sagaciter explanavit, finium ductus accuratius describere studuit, murum quoque Servianum severius quam nostrum propositum tulit delineatum dedit Lancianius iis quae nuper scripsit Ricerche sulle XIV regioni urbane, bullet. comun. 1890 p. 115. quamquam quod ad patefaciendam dispositionem quam Augustus secutus esset excogitavit diagramma ('segnata la linea fondamentale, egli suddivise il terreno cistiberino in tredici regioni, girando da destra verso sinistra sul perno o centro del Palatino' p. 116 sq.) speciosius quam verius mihi coniecisse videtur. idem in descriptione Urbis Romae quae Notitia vocatur, quam saec. IV ex forma et ea meridiana expressam esse dissert. pr. p. XIV sqq. demonstravimus, recte observavit nominibus longe plurimis quae monumenta dicere solemus et monumenta supra simpliciter dixi-

mus vicos potius quam monumenta indicari, quorum nomina magnam partem a monumentis derivata manserunt postquam ipsa monumenta dudum interierunt, velut mansit nomen Piscinae publicae cum vico, qui recensetur in basi Capitolina, unde regio XII nomen traxit et Notitiae descriptio exorditur; item quam regio X continere dicitur curiam veterem vicus est Curiarum basis Capitolinae, summum choragum reg. III et templum Telluris reg. IV in ipsa forma Severiana nomina esse vicorum fr. 7 SVmMI CHoragii et fr. 6 IN TELlure animadvertimus. sed quod conclusit finium descriptionem esse Notitiam, non praecipuorum locorum et monumentorum, valde ego miratus sum (cf. reg. VIII et IX neque qui Notitiam Urbis Constantinopolitanae composuit si ad exemplum Romae confecit, finium descriptionem intellexit) neque quae posuit stare possunt si vera sunt quae supra p. XVI de ordine Notitiae exploravimus. unum addam ad formam Urbis quam supra exhibuimus. horti Sallustiani (43) quod a Notitia in regione VI afferuntur cum maior pars spectet ad VII, optime Lancianius p. 135 ea re explicavit quod aditus erat a vico portae Collinae intra muros. sed haec hactenus ne in quaestiones supra tractatas relabi videamur.

vidimus de forma Septimii Severi, vidimus de forma Urbis XIV regionum Augusti, diversas eas fuisse non solum iis quae temporum cursu mutata erant, sed etiam dispositione universa atque directione cardinis certis atque indubitatis argumentis comprobavimus. reliquum est ut quaeramus, quanam ratione ductus Severus formae faciem immutaverit ut cardinem constitueret orientem brumalem. nam Vespasianum cuius formam incendio templi Pacis consumptam eodem loco eum redintegrasse satis probabilis est opinio, omnino non est cur a directione Augustea descivisse putemus. immutationis autem Severianae multae causae conquiri possunt. velut ambitus Urbis tum fortasse is erat ut forma marmorea nisi hac directione modulo commodo commode in muro exhiberi non posset, ut nos quoque formas ita convertimus ut quam maxime spatio quod datum est aptentur. sed ea de re ex fragmentis quae habemus nil certi efficitur. an formam immutatam esse putabimus quo magis templa deorum et opera maiora cum ipsius formae directione congruere viderentur, forsitan ut aedificia ab ipso imperatore exstructa in plano delineata cernerentur? at tot monumenta conspicua inclinata iacere supra vidimus. neque vero loci quo sita erat forma ipsa rationem habuit. nam formam templo Urbis ita adfixit ut in pariete esset cuius angulus alter spectat versus orientem, alter versus septentrionem (v. Iordani tab. XXXV); contra si lateri dextero apposuisset quod est inter septentrionem et occidentem, ita illa exhibita fuisset, ut qui formam intueretur quae superiora prospiceret eadem in Urbe antica haberet, quae infra essent postica, sinistra autem et dextera eadem quae in ipsa forma, i. e. ad situm locorum forma directa fuisset. sed ita usui communi consulere illi non solebant.

longe veri similiora sunt alia. atque sane mirum inventum Urbis quae in dies mutatur formam marmoribus incisam tamquam unius diei aeternam memoriam publico loco collocare, — nam alia est aquarum sepulcorum agrorum ratio — aut temporum quae summam rerum se attigisse sibi conscia sunt aut effrenatae vanitatis documentum. Augusti forma in porticu Pollae picta erat, de Vespasiani non constat, Severum ad suam libidinem omnia exegisse scimus. itaque non est cur arcanas vel subtiliores causas circumspiciamus quibus commotus ille formam non ad rectas caeli regiones sed inaudito more ad cardinem inter orientem et meri-

diem deduxerit. quae ratio fuerit, vestigia in ipsa forma Capitolina servata satis declarant. formam ita dispositam esse vidimus ut cardo aut ipse Circus Maximus esset aut huic congruus, nomen Circi secundum spinam in modum columnae litteris scriptum cubitalibus ita ut prae ceteris oculos stringeret, ceterorum autem operum quotquot insunt nomina si inclinata erant ut ab ima ad summam partem exaranda essent, ita inscribi cognovimus ut tamquam pro fundamento Circum haberent, velut Septa Iulia, basilicam Iuliam, Grecostasin, Libertatis, in Tellure al. itaque Circus Maximus licet in medio fuisse non videatur tamen pro cardine principali fuisse existimandus est, ita ut locus iustus intuenti paullo propios esset dexteram partem parietis i. e. angulum templi Urbis qui spectat versus septentrionem. Circi autem tantum fuisse honorem non mirabimur. scimus quanti propter ludos antiqui circos aestimaverint, ita ut et regio IX et XI ab iis nomen duxerint, Circum Maximum inter mirabilia Urbis primum locum tenuisse notum est (cf. Plin. s. p. XVIII), quin etiam tamquam templa dei Solis constitui atque coli consuerant. nam Circus Maximus tendit ad orientem hibernum, Flaminius, cuius inscriptio cur prorsus singulari modo in forma collocetur iam apparet, ad orientem accurate exactus est itemque Neronianus, ad meridiem deinde stadium Domitiani, denique Circo Maximo transversum stadium Palatinum. templa autem Solis et Lunae ipsi Circo Maximo inaedificata erant (cf. Preller röm. Mythologie[3] 1, 325), obelisco ornatus erat omnium qui tum Romae erant maximo, quorum qui locus et apud Aegyptios et inde apud Romanos in veneratione Solis fuerit egregie exposuit Schiaparelli bullet. comun. 1883 p. 72 sqq.

accedebant tamen alia quibus Severus motus videatur ut suam formam suo modo delinearet. celeberrimum inter opera quae exstruxit Septizonium fuit sub monte Palatino lateri Circi Maximi in fronte appositum, cuius ichnographia servata est cum parte Circi in fr. 38 Capitolino, quod in regione X Notitia commemorat nomine Septizonium divi Severi. quod cum faceret quamvis stupendae magnitudinis atque inauditi splendoris opus (cf. Huelsen das Septizonium des Septimius Severus, Berlin 1886) tamen nihil aliud cogitavit, quae verba sunt biographi (Spart. 24), quam ut ex Africa venientibus suum opus occurreret. erat enim ex Africa oriundus, Lepti natus, Septizonium voluit patriam prospicere, iis obversari qui cum ex Africa venirent via Appia per Circum Maximum Urbem intrarent — eadem igitur imprimis causa fuit, ut formam ingentem Urbis cum poneret, ad Circum Maximum eam atque viam Appiam dirigeret, suam libidinem secutus formam more maiorum consecratam aspernaretur atque leviter immutaret. eodem autem modo addo constitutum esse arcum Septimii Severi in Foro Romano nescio an gloriosius quam commodius ibi collocatum (305° — solstitium diximus fuisse Romae 302°) neque ad diem natalem Severi directum ut est arcus Constantini (cf. Nissen mus. rhen. 28, 554, nam et natus est d. 11 Aprilis et imperator renuntiatus); paedagogium autem puerorum a Capite Africae (reg. II) quod refecit (CIL. 6 n. 1052) eodem referendum esse non videtur (cf. Gatti ann. dell' inst. 1882 p. 194).

restat ut pauca adiciamus de inscriptione ipsius Severi formae Capitolinae fr. 37, de cuius positione quid iudicandum esset supra p. VI exposuimus. verba SEVERI ET ANTONINI AVgG NN prorsus singularia sunt, neque sollemni modo redacta neque nomine operis significato. quae ne pro dedicatione totius formae habeamus, ita forsitan explicanda sunt ut sumamus ea omnibus aedificiis imposita fuisse quae Septimius Severus aut fecit aut restituit. nam post Augustum

et Vespasianum tertius exstitit instaurator Urbis Romae (cf. Richter p. 765[2]), multa opera perfecit quorum seriem contexuit Lancianius bullet. comun. 1882 p. 52, quorum ut summa conficeretur simulque restitutae Urbis facies uno obtutu comprehendi posset, ipsa haec forma in publico collocata est, ad aemulationem formae Augusti — ut fuit porticus quoque 'Romae Severi, gesta eius exprimens' (Spart. Sev. 21) — neque vero ipsorum Severi et Caracallae nomine sed a senatu dedicata, qua publicas imperatoribus gratias profiteretur. iam sagaciter Iordanus titulum adscivit iisdem Severo et M. Antonino dedicatum (CIL. 6 n. 1031), in quo primum subscriptum invenitur [devot?]I VRBI · SACRAE · REG · XIIII. conclusit gliscente adulatione tum magis magisque Urbem Romam non populi Romani sed domus imperatoriae principisque quasi praedium habitam esse (Forma p. 8). quid igitur mirum etiam formae directionem ad libidinem principis Africani in Circum Maximum atque viam Appiam conversam esse? itaque de forma Capitolina confecta res est. originem atque rationem formae illustravit, de templo Urbis Sacrae, ubi et forma maxima posita erat et publicae formarum mensurarumque tabulae servabantur, post Iordanum disputavit Lancianius praeclara illa commentatione degli antichi edificii componenti la chiesa dei ss. Cosma e Damiano, bullet. comun. 1882 p. 48 sqq. de titulo formae unum addendum esse apparet, nam formae Capitolinae nomen procul dubio fuit 'forma Urbis Sacrae regionum XIV', non 'forma Urbis Romae reg. XIV' quod fuit Augusteae.

verum enimvero quoniam operam dedimus ut comperiremus quonam principis arbitrio forma Severiana ad orientem brumalem conversa esset, aequum et iustum est cur Augustus meridiem secutus sit non inexploratum relinquere. quodsi quaerimus qua re ductus Augustus fecerit, libidinem principis non incusabimus, certas rationes fuisse contendemus. suspicabuntur forsitan in eo secutum eum esse Tiberim amnem, anticam seu inferiorem constituisse eam partem Urbis qua intrat, superiorem qua meridiem versus effluit; quoniam sunt qui nisi quas ipsi oculis cernunt causas non comprehendunt. sed eodem iure dixeris ad orientem formam redigendam fuisse cum a Ianiculi iugo totam Urbem oculis subiectam unice aestimare liceret, aut hac parte montes longe altissimi Apennini eminerent digni qui in summo collocarentur. formam Urbis regionum XIV arte cohaerere cum iis quae de administrandis rebus Urbis Augustus instituit et horum esse quasi complementum et inter omnes constat neque facit ad quaestionem explicandam. sed quamvis multa Augustus primus perfecerit, tamen eam eius naturam atque indolem fuisse novimus ut et in aliis rebus et in forma disponenda morem maiorum eum conservasse, nil nisi numerum novavisse exspectaveris. at iam supra cum exempla quae ex usitata Urbis Romae forma in indicandis locis inscii ipsis scriptoribus excidisse viderentur afferrem, currente calamo et Ciceronis et aliorum verba descripsi quos certe a forma Augusti pendere non dicemus. adsunt igitur vestigia formae vetustioris quibus discernimus consuevisse Romanos etiam liberae rei publicae temporibus situm Urbis ad meridiem conversum describere. sed non solum aevo Augusteo antiquior est forma Urbis e meridie directa, est antiquissima. ne ambagibus legentes detineam, rem luce clariorem statim proferam, nam plane eodem modo quo formä regionum XIV Augusti, iam multis saeculis ante ea forma exacta fuit qua describebantur IV illae partes Urbis 'tribus dictae ab locis' quae a Servio Tullio institutae esse dicuntur. rem imagine Urbis quamvis rudi expressam statim perspicies. regiones seu tribus quae fuerint

et quo ordine dispositae certis testimoniis constat Varronis Festi Ciceronis (cf. Mommsen röm. Staatsrecht 3, 1 p. 163, Kubitschek de Romanarum tribuum origine ac propagatione p. 51):



I Suburana
II Palatina
III Esquilina
IV Collina

neque differt quod a Plinio enumerantur Suburana Palatina Collina Esquilina neque quod a Varrone de l. l. 5, 41 'Argeorum sacraria in IV partis Urbis disposita' describuntur haec (Iordan 2, 603)

I regione Suburana — Caelius mons
Ceroliensis
Subura

II regione Esquilina — Oppius mons
Cespius mons

III regione Collina — (Viminalis)
collis Quirinalis
collis Salutaris
collis Mucialis
collis Latiaris

IV regione Palatina — . . . .
Germalense
Veliense.

itaque in IV regionibus in quas Urbs distributa erat, cum alius ordo non insit nisi topographicus, isque plane cum Augusteo ordine congruens, — nam idem est cum ab eadem regione Urbis exordiatur superiore simul et sinistra, unde utrum primum dextrorsum pergat an ad ea quae infra sunt, nihil prorsus interest — nisi forte credis illos quos dixi scriptores qui tamen Augusto fuerunt antiquiores ex suae aetatis more Urbem repraesentandi Servianarum regionum ordinem effinxisse, iam dubitari nullo modo posse mihi videtur quin hac dispositione exhibeatur forma certa, etsi non marmorea, tamen quoquo modo conscripta, atque effigies Urbis item e meridie conversa atque fuit forma Augusti, et eandem formam per omnia quae intercedunt saecula in usu fuisse testes ipsi scriptores sunt quibus Servianae formae notitiam debemus quosve eo ordine loca Urbis describere videmus. nam ex quo tempore partes in quas Urbs dividitur certo ordine componi et numeris ita signari coeptae sunt ut de prima dissensio omnino non esset, — nam quorsum pergatur nil refert modo ordine pergatur — delineationem quoque factam esse contendo, quam ex ipsa dispositione restituere aliquo modo et possimus et debeamus. certe quam maxime mirandum est iam illis temporibus talem dispositionem atque formam pervulgatam fuisse quae nimis artem atque doctrinam quandam gromaticam prodere et aetatis qua iam litterae florere coeperint esse videatur, neque tamen negari potest regionibus Servii Tullii servatum nobis esse anti-

quissimum litterarum Romanarum monumentum neque tam scriptum quam formae instar delineatum, eo tamen tempore ortum quo Romae iam dextrorsum versus scribere solebant i. e. formam illam eiusdem fere aetatis esse atque ipsum aggerem Servii Tullii qui perhibetur (cf. Richter p. 758 et eiusdem dissertationem über antike Steinmetzzeichen, Berlin 1885 p. 40).

itaque religiose servavit Augustus formam pristinam ad meridiem directam, novum constituit et numerum regionum et ordinem quo se exciperent nisi quod pro ordine publico eum potius secutus esse videtur quo Argeorum sacraria disposita erant (cf. Iordan 1, 1, 318). — Augusto antiquiorem esse formam Urbis Romae meridianam vidimus, antiquissimam fuisse quod diximus argumentum denique accedit gravissimum septimontium q. d. seu feriae quas olim ab aliis atque qui postea inter VII montes numerabantur montibus agi solitas esse Antistio Labeone auctore refert Festus p. 340. 348, quorum montium nomina haec sunt: Palatium Velia Fagutal Subura Cermalus Oppius Cispius. ordinem ex eadem forma derivatum esse tam perspicuum est ut explicatione non opus sit.

attamen ne post tot tantaque argumenta leviter nos rem egisse censeas numerorum lusu seductos cum contenderemus sollemnem formam Urbis Romae et ante et post Augustum semper e meridie directam fuisse, peculiarem atque prorsus singularem rationem esse formae Severi Capitolinae, iam praesto sunt documenta longe certissima atque indubitatae fidei in quibus non iam ratiocinando opus est, sed formae ipsae exhibentur verae atque eae quae ipsis oculis cernantur. servantur enim adhuc sat multae formae seu ichnographiae Urbis Romae per medii aevi saecula delineatae aut pictae, sed pendentes eae omnes ab antiquis exemplis ut ex certa consuetudine atque constanti quodam more Urbem repraesentandi cognoscitur — hae formae ad unam omnes ad meridiem dispositae sunt. formas collegit, commentario amplissimo instructas edidit Ioannes Baptista de Rossi libro insigni cui titulus est Piante icnografiche e prospettiche di Roma anteriori al secolo XVI (pubblicate nel 50. anniversario dell'Instituto Archeologico) Roma 1879. idem demonstravit has formas seu tabulas omnes ad veterum exempla factas neque eas proprio ingenio a medii aevi hominibus inventas esse — neque ea profecto illius aetatis indoles fuit ut nova procrearet — sed religiose quantum quidem potuerint eas sequi illa quae antiquitus tradita acceperint. quae post de Rossium cognitae sunt notavit Richter p. 735 cf. Gilbert Stadt Rom 3, 457, Iomard monum. géogr. t. 40, 6, Monaci Archivio d. soc. Rom. di storia patria 12, 165 'Roma edificata a muodo de lione'; formam a Fra Filippo Lippi pictam Schedelianae et Mantuanae similem instituto Staedeliano Francofurtensi nuper illatam esse audimus cf. Frankfurter Zeitung 4 Febr. 1891.

quarum formarum valde gaudeo quod unum exemplum proponere et harum dissertationum fronti praefigere licuit, prospectum quem videmus in sigillo Ludovici Bavari (quod Aquisgranis servatur) circa a. 1328 forsitan Marsilio Ficino auctore expressum, compendiatum eum quidem sed nitidum, quem ut ex Alfredi de Reumont historia Romana 3, 1 p. 477 repeterem editor liberaliter concessit. quam formam ut paucis describam, quoniam est 'ritratta dal tipo già solenne e tradizionale' (de Rossi p. 88), Urbem vides ab ea parte repraesentatam qua Tiberis Romam intrat prope portam Flaminiam et Urbem dividit, vides in ipso Tiberi insulam et pontes, tum ut de Rossii verbis utar 'studiosamente posti in rilievo i principali monumenti di Roma pagana e cristiana. In fondo alla scena la basilica lateranense, la piramide di Caio Cestio, l'arco di Tito; poco

più innanzi il Colosseo, in mezzo il Campidoglio, poi il Pantheon: a destra s. Maria in Trastevere, l'obelisco vaticano, s. Pietro, la mole adriana; a sinistra la colonna Antonina e la torre di Nerone'. — ceterum ut hoc loco addam etiam antea et more fere communi in bullis aureis imperatorum formam aliquam 'Romae Aureae' quamvis ficticiam exhibere solebant ut est in sigillo Friderici Barbarossae quod nuper edidit v. Sallet Zeitschr. f. Numism. 17 (1890) 256, frequentior etiam in iisdem versus celeberrimus *Roma caput mundi* de quo cf. Graf Roma nella memoria e nelle immaginazioni del medio evo 1, 7 sqq., Monaci Archivio d. stor. patr. 12 (1889) 166, Lange der Papstesel 1891 p. 54.

de Rossius ut historiam harum formarum ab originibus repeteret omni qua unus excellit doctrina egit et de Septimontio antiquissimo et sacris Argeorum et IV regionibus Servii Tullii quibus optime observavit contineri incunabula et quasi prototypon formae Urbis quam conficere oportuerit ex quo tempore populus Romanus non iam tributim ut antea, sed regionatim conscribi et tabulae censoriae institui coeptae sint; disseruit de formis publicis et mensuris agrorum, ut erant formae agri Campani in aes incisae et ad Libertatis adfixae quarum meminit Granius Licinianus, de formis aquarum quae sunt apud Frontinum et similium, de 'forma Urbis (post Gallica incendia) occupatae magis quam divisae simili' ut est apud Livium 5, 55, de Sardiniae insulae forma atque simulacris pugnarum in ea pictis apud eundem 41, 28, aliis; tum de pomerio, de Augusto et Agrippa eorumque dimensuratione et descriptione totius orbis, de orbe picto in porticu Pollae et forma Urbis Augusti (de quibus est in inscriptionibus CIL. 6 n. 919 'censores loca a pilis et columnis, quae a privatis possidebantur, causa cognita ex forma in publicum restituerunt' et CIL. 10 n. 3828 'fines agrorum dicatorum Dianae Tifatinae a Cornelio Sulla ex forma divi Augusti restituit'), de XIV regionibus, de Vespasiani mensura Urbis descripta a Plinio n. h. 3, 66, de Notitia et regionariis q. d., itinerariis et cosmographiis et cett.; quaestionem tamen quae est circa directionem formae Urbis, cum totus esset in enarranda et contexenda historia horum monumentorum antiquitatis, id quod sane mireris, non attigit nisi cum formam Capitolinam tractaret quam p. 53 cum Iordano statuit ad meridiem conversam fuisse, immo ita rem se habere comprobari putavit ipsis formis quas edidit, quas omnes hanc dispositionem sequi commemoravimus, tamen cur in Severiana aut in Augustea (nam p. 80 si meridiana fuerit forma Urbis Capitolina, eandem fuisse Vespasiani atque Agrippae et Augusti pronuntiatur) primum ut opinabatur id factum esset et num eadem fuisset omnium quae ante erant formarum dispositio ne suspicatus quidem. Severi formam meridianam fuisse quod putavit, ea in re iam erravisse eum certum est, contra iis quae attulit, velut quae in tabula I adnotata leguntur maximam partem eadem esse vidit atque quae exstant in Notitia locorum Urbis Romae, neque unquam interrupto ordine quae Notitiae ex antiquis formis desumpta Mirabilibus aliis tradidere usque ad formam Urbis quam habuisse dicitur Carolus Magnus aut ad formas et descriptiones Urbis quae apud geographos Arabes reperiuntur et quotquot deinceps tabulae Urbis factae sunt pervenerunt — his rebus dico quam luculentissime demonstratur hanc formarum Urbis quae per medium aevum ferebantur faciem meridianam vere Romanam esse et antiquam, quin antiquissimam paene ab origine ipsius Urbis continuo more derivatam, multis saeculis antiquiorem Severiana quae ut veterem morem turpiter deseruit ita quamquam publice loco insigni ante omnium oculos collocata et per omnia

deinceps saecula conservata atque sine dubio cum admiratione ingentis operis visitata est, tamen non perfecit ut veterem formam Urbis Romae meridianam vere atque unice Romanam usu moveret et animis ut ita dicam evelleret. nam nimis postquam inveteravit consuetudo animis nostris insedet atque inhaeret, inhaesit antiquis ut per idem saeculorum spatium etiam XIV illae regiones Augusti in usu esse nunquam desinerent, quarum nomina atque numeros usque ad XII p. Chr. n. saeculum et ultra ad designanda Urbis loca adhiberi videmus, inhaesit adeo ut in nova quoque Urbis in VII regiones ecclesiasticas distributione eandem formam sequerentur.

etenim inde a III aut IV p. Chr. n. saeculo praeter civilem ut ita dicam discriptionem Augusti vestigia cernuntur discriptionis cuiusdam ecclesiasticae, cf. libr. pontif. de papa Clemente 'fecit VII regiones et dividit notariis fidelibus ecclesiae qui gesta martyrum solicite et curiose unus quisque per regionem suam diligenter perquirerent', de papa Fabiano (a. 238) 'hic regiones divisit diaconibus . . et fecit VII subdiaconibus qui VII notariis imminerent ut gesta martyrum fideliter collegerent' et qui actis synodi a. 499 subscribunt 'diaconi S. R. E. regionis I—VII' (Iordan 2, 324) — ut etiamnunc VII Romae sunt cardinales diaconi. quae ratio inter veteres et novas regiones intercedat ut in medio relinquamus — nam de usu earum nuper acrius disputatum est — hoc certum est VII regiones ecclesiasticas et accurate distingui et nisi ex forma meridiana ordinem non explicari. quarum prima vocabatur Aventinensis, reliquarum quoniam nomina non usitata fuisse videntur locis et monumentis praecipuis adscriptis situm significabo cf. Iordan 2, 317, de Rossi Roma sotterranea 3, 514 Archivio di storia patria 12 (1889) 210, Duchesne Revue des quest. histor. 24 (1878) 217 Mélanges d' arch. et d' hist. 10 (1890) 126, Re Studi e docum. di storia e diritto 10 (1889) 349 et 360 [uncis inclusi reg. II. III. IV quae et ad civiles et ad ecclesiasticas referri possint].

I Adventinensis: S. Sabina, ripa Graeca iuxta marmorata super fluvium Tiberis, (h)orrea sub Aventino (i. e. Augusti reg. XIII); S. Balbina, Fasciola 'à droite de la voie Appienne' (Aug. XII); praeterea a papa Simplicio (lib. pontif. p. 249 Duch.) statutum ut 'presbyteri manerent propter penitentes et baptismum reg. I ad S. Paulum'. pertinebat igitur a via Appia ad Ostiensem et Tiberim

II iuxta decennias (prope portam Metroviam Aug. I), [S. Erasmus ante S. Stephanum, iuxta forma Claudia (Aug. II)], S. Georgius ad velum aureum (Velabrum, Aug. XI), basilica Crescentiana (prope Forum Romanum, Aug. VIII), non longe a porta maiore (Aug. V); eodem spectabant coemeteria a via Latina ad Asinariam et prope Labicanam

III [non longe a S. Stephano, iuxta domum Merulanam, iuxta thermas Domitianas (Titianas)], iuxta porta maiore, non longe de Hierusalem, iuxta formam Cimbri (*trofei di Mario*), basilica S. Laurentii super S. Clementem (Aug. V); S. Petrus et Marcellinus, S. Petrus in Vincula, cum coemeteriis a via Labicana ad Tiburtinam; presbyteri reg. III ad S. Laurentium (in agro Verano)

IV [Subura et campus S. Agathe, non longe a colossus in templum qui vocatur Romuleum, in colosseo in via sacra], ad macellum non longe ab eccl. S. Andree et Viti, gallinas albas (Not. VI), iuxta thermas Diocletianas, tit. Vestine (S. Vitalis), S. Susanna, i. e. Aug. IV et VI, Viminalis et Quirinalis cum via Nomentana

V limites describuntur a. 962: ab uno latere via publica sub arcora et forma Virginis, a secundo ipsa forma Virginis et Monte Pinci, a tertio muros civitatis Rome et porta (populi), a quarto latere dicto muro remeyante usque

in posterula S. Agathe (*piazza dell' orso*) et via publica que ducit sub arcora i. e. Aug. VII et pars IX
VI S. Maria in Siniko (Xenodochio, Trevi), cum Aug. IX reliqua parte; presbyteri VI et VII cum utraque adiaceret ad S. Petrum (in Vaticano) delegati.

quae si nobiscum reputamus, numerus et ordo VII regionum ecclesiasticarum a civilibus Augusti differunt, dispositio autem universa plane eadem est i. e. redacta ad formam meridianam, ita a forma communi pendebant ut eodem inter se ordine quo regiones Augusti et ipsae VII regiones et singularum regionum fines ut in V videmus describerentur. tanta fuit per illa saecula Romae antiquae memoria ut cum in formis quas ex antiquis exemplis ad unam omnes repetitas esse diximus praeclaris monumentis antiquitatis imprimis operam darent, etiam in nova Urbis discriptione ad novae fidei rationes atque opera exacta morem antiquum conservarent, cardinem Urbis non mutarent, Urbem meridiana directione intueri pergerent qua et Augusti et Servii Tullii aetate intueri solebant. regiones autem Augusti etiam post bella Gothica cum ecclesiasticis aliquotiens indicatas esse — ut a. 1051 bis scriptorem haesisse videmus utrum locum prope S. Mariam Maiorem V Augusti an III ecclesiasticae daret cf. de Rossi Archivio 12, 209 — non mirabimur neque est cur offendamus. ut summam faciamus, per XX saecula formam Urbis Romae meridianam fuisse demonstratum est, eandem mansisse Urbis Aeternae imaginem atque discriptionem inde a regum et liberae reipublicae temporibus per omnia imperatorum et medii aevii Christiani saecula.

atque his rebus absolutum est quidquid de forma Urbis Romae quae apud veteres fuit, dicendum videbatur. at quoniam de forma Urbis constat, ad alteram rem trahimur et tamquam in novum campum immittimur ut quaeramus quid de ceteris veterum formis statuendum sit, quibus siquidem tanta fuerunt in delineanda Urbe constantia, cum hac artam atque intrinsecam quandam necessitudinem fuisse nemo infitiabitur. quare si licet hanc quoque rem persolvere et quaestionem quam ratio nobis imponit quantum quidem fieri potest exhaurire fas est.

quod re vera non tam arduum est ut non facili opera explicetur. Augustum qui Urbem in regiones XIV divisit, Italiam in XI provincias distribuisse constat. atque si in illis ordinem topographicum secutus est, cum formae eas inscriberet, in his aliter eum egisse vix putabimus. sed ut rem proferam, nam multis verbis opus non est, en habes formam Italiae secundum regiones Augusti quas fuisse Plinius n. h. 3, 46 sqq. testatur



descriptam, quarum ordo ab ipsa Urbe proficiscitur, deinde primum superiora enumerantur, quae nos nunc ex nostro more Italiam inferiorem appellare solemus, tum ad Italiam superiorem quam nos dicimus descenditur, iis autem quae a sinistra ad dexteram deinceps se excipiunt hanc quam statuimus

meridianam Italiae formam vere Augusteam fuisse quam certissime evincitur. res iterum tam simplicitate perspicua ut a nullo eam adhuc observatam esse vix credideris. sed ita hominum genus constitutum est ut cum in quaestionem quandam inciderint, mox controversiis ita implicentur ut solem prae umbra non videant — nam quot quaestiones moverint quantumve sudaverint e. g. in forma et chorographia Augusti explananda dici nequit, at harum rerum neque hic neque in prolixis de forma Urbis Romae disputationibus nec vola nec vestigium, adeo certando caecutiunt et dum remota insectantur quae ipsis oculis subiecta sunt non animadvertunt. sed ut illos mittamus, iam recuperavisse nobis videmur Italiae quoque formam antiquam eamque meridianam, cuius dispositionem cum ceteri in rebus antiquis describendis non veterum more quem ignorant uti, sed nostram nostri aevi situm Italiae intuendi consuetudinem invitis veteribus inferre soleant (cuius rei innumera exempla sunt), optimo iure secuti sunt fere soli Corporis Inscriptionum Latinarum editores. antiquos enim scriptores, si ea fuit forma omnibus usitata, mirum non est eo qui ex suae formae specie atque directione sponte nascitur ordine locorum situm describere solere cf. Geogr. Ravenn. p. 252 'ad partem inferiorem Italiae sunt civitates . . Comum Cremona Verona Mantua' al. p. 255 'ab ima Italia inchoemus i. e. a civitate Arsiae quae finitur inter provinciam Liburniam et Istriam'. Mela 2, 58 'Italia . . inter Superum mare et Inferum excurrit diu solida . . . sinistram partem Carni et Veneti colunt, tum Picentes Frentani Dauni Apuli Calabri Sallentini. ad dextram sunt Ligures Etruria Latium Volsci Campania et super Lucaniam Bruttii. urbium ad sinistram Patavium Mutina et Bononia, ad dextram Capua et Roma'. alia exempla nunc non affero quoniam et omnibus in promptu sunt et graviora restant in quae inquiramus.

nam postquam de Urbe et de Italia constat, dubium non est quin orbis quoque universi forma antiquis meridiem versus directa fuerit. quae res etsi sua natura veri simillima est et infra ipsorum antiquorum scriptorum testimoniis sat luculentis opinor comprobabitur, interim quam recte statuatur documento sunt verba quibus ipsius Augusti ni fallor orbis pictus describitur. etenim Plinius refert n. h. 3, 17 'Agrippam quidem . . orbem cum terrarum orbi spectandum propositurus esset, errasse quis credat et cum eo divum Augustum? is namque complexam eam porticum ex destinatione et commentariis M. Agrippae a sorore eius (Polla) incohatam peregit'. orbem pictum Augusti Urbis grande decus sine dubio municipia omnia sibi deesse noluerunt cum quanto studio Urbis monumenta velut elogia ducum clarorum publice ab Augusto in foro Augusti Romae dedicata (cf. CIL. 1 p. 281) repetiverint sciamus. itaque pro certo habeo eundem atque Augusteum fuisse orbem illum pictum in porticu Augustodunensem quem his verbis a. 296 p. Chr. n. describit Eumenius pro restaurandis scholis 20 'videat praeterea in illis porticibus (antiqua litterarum sede) iuventus et cottidie spectet omnes terras et cuncta maria et quicquid invictissimi principes urbium gentium nationum aut pietate restituunt aut virtute devincunt aut terrore devinciunt. siquidem illic . . omnium cum nominibus suis locorum situs spatia intervalla descripta sunt, quicquid ubique fluminum oritur et conditur, quacumque se litorum sinus flectunt, qua vel ambitu cingit orbem vel impetu irrumpit oceanus. ibi fortissimorum imperatorum pulcherrimae res gestae per diversa regionum argumenta recolantur dum calentibus semperque venientibus victoriarum nuntiis revisuntur gemina Persidos flumina et Libyae

arva sitientia et convexa Rheni cornua et Nili ora multifida . . . nunc enim, nunc demum iuvat orbem spectare depictum cum in illo nihil videmus alienum'. quibus verbis partes orbis eodem ordine modoque quo in forma pictae erant Asia Africa Europa describi (nam Aegyptus in Diocletiani gratiam adiecta est) clarissime cognoscitur.

quodsi in forma seu orbe picto Augusti, quem tripertitum fuisse constat, sinistram partem occupavisse videtur Asia, a dextera superior fuisse Africa, inferior Europa, non sine specie quadam veritatis conieceris ab hac forma Augusti deduci aut certe ex more Romano factas esse formas quotquot aetatem tulerunt meridianas. taceo Arabes quorum chartas omnes ad meridiem conversas fuisse inter geographos declamata res est, quibus Almamun Abbassida (813—832) cum Ptolemaei opera in Arabem linguam vertenda curavit fundamentum iecit 'sur lequel a vécu jusqu'à la fin la géographie scientifique des Arabes' (Vivien de Saint-Martin hist. de la géogr. 1875 p. 250); quorum forma meridiana ut meridiana Hebraeorum cum ex aliis causis tum ex diversa scripturae directione explicatur. sunt tamen aliae, paucae eae quidem neque eadem quae in formis Urbis Romae exemplorum copia suppetit, cum medii aevi formae longe plurimae propter rationes ab antiquis moribus alienas de quibus mox videbimus aliter institutae sint et ordinem exhibeant diversum, sed ad rem perspiciendam sat amplae sunt et quo rariores eo maioris aestimandae. ut paucis componam haec fere sunt meridianae formae quas indagavi (Santarem sur la priorité de la découverte de l'Afrique par les Portugais 1842 cui multae tabulae inesse feruntur non vidi): 1) Islandica saec. XIII (Philippi zur Reconstruction der Weltkarte des Agrippa tab. 1, 1). 2) Honorii Augustodunensis saec. XII (Lelewel géogr. du m. âge atl. t. 8 Philippi t. 1, 3). 3) Guilelmi Hirsan. saec. XIII (Santarem hist. de la cosmogr. et cartogr. pendant le m. âge 3, 504). 4) Iohannis de Sacrobusco saec. XIII (Philippi t. 1, 2). 5) Cecco d'Ascoli saec. XIII (Lelewel atl. t. 9). 6) imago mundi Parisina saec. XII—XIII (Lelewel atl. t. 25). 7) codicis Sallustii saec. XV (Lelewel atl. t. 35); directionem Arabosiculam sequi videntur tabula aenea Borgiana 1452 (Lelewel épilogue) et mappa mundi Fra Mauri Camaldolensis 1457 (ed. Ongania 1879). plura ex scriptorum verbis elici posse monuisse satis est (cf. Santarem 2, 1 sqq.).

atque formam Sallustii (7 et cum ea 6) meridianam esse eo magis notandum est quod huius generis (ex Sall. Iug. 18 sq. derivati) exempla omnia ex more medii aevi orientem in summa parte habent additis quae tum indicari solebant memoriis Christianis; nam quae ad occidentem directae sunt formae Sallustianae (Lelewel épilogue et Vivien de St.-M. atl. 6, 5) ab eo qui depinxit simpliciter ad exprimendum inversae sunt (cf. Archivio di storia patria 12, 169). quam ut contra omnium usum meridianam faceret cum ne in mentem quidem cuipiam venisse dixerim, singulari fortuna antiquam formam servatam esse iure contendemus. ceterae quas attuli omnes eius generis sunt quae terram monstrant in zonas divisam et zonam temperatam habitatam inferiorem hunc in modum fingere solent

Asia Africa
    Europa

quae res et ea omnium maxime miranda est, nam zonarum formas et septentrionales esse et antiquitus fuisse cum a Graecis originem repetant consentaneum est et comprobatur Macrobii codicibus qui praeter unum Metensem saec. XI (e more Romano ut nostra fert opinio ad meridiem conversum, Santarem 3, 460) omnes formam quam ille comm. in somn. Scip. 2, 9 adiecerat — 'omnia haec [quae de oceano scripsit] ante oculos locare potest descriptio substituta: ex qua et no-

stri maris originem et Rubri atque Indici ortum videbis' sqq. — septentrionalem reddunt; quae originem duxisse videtur ex sphaera Cratetis Mallotae de cuius studiis geographicis exstat Eduardi Luebbert b. m. dissertatio zur Charakteristik des Krates von Mallos, mus. rhen. 11 (1857) 428, iuvenilium studiorum aureum fragmentum. his igitur formis ut et Crateteam dispositionem inverterent et contra omnium consuetudinem meridiem in summo constituerent, alia ratio fuisse non potest nisi quod vetera exempla aderant antiquo usu consecrata et mentibus inhaerentia quae novo more oblitterata nondum erant.

sed pusillis his veterum formarum reliquiis facile carebimus quia longe uberiora et multo praestantiora ab ipsis antiquis scriptoribus servata sunt, discriptionem dico imperii Romani qua ad recuperandam formam orbis antiqui non minus commode utemur quam in Servii Tullii et Augusti regionibus Urbis Romae aut in regionibus Italiae usi sumus. ne longus sim, novam atque accuratissimam imperii Romani divisionem factam esse a Diocletiano constat, quam paucis mutatam qualis fere Theodosio imperante fuit exhibet Notitia dignitatum, satis diligenter forma expressit Kiepertus atlantis tab. XII. verbis non opus est, ipsos laterculos afferam.

A (Or. 2) sub dispositione viri illustris praefecti praetorio per *Orientem* sunt dioceses infrascriptae: Oriens Aegyptus Asiana Pontica Thracia (Orientem hoc loco primam esse par est, successisse Aegypto ceteris locis apparet cf. Or. 1; Kiepertus nescio cur Pontum Asiae anteposuerit).

provinciae:

(II) *Orientis* XV (uncis adiectae quae Or. 22 sub dispositione viri spectabilis comitis Orientis dicuntur)

consular. (cf. Or. 1)
1 (1) Palaestina
2 (2) Foenice
3 (3) Syria
4 (5) Cilicia
5 (4) Cyprus
6 (15) Arabia [et dux et com. r. mil.]
7 (14) Isauria [comes rei mil.]

praesid. (cf. Or. 1)
8 (7) Palaestina salutaris
9 (6) Palaestina secunda
10 (8) Foenice Libani
11 (9) Eufratensis
12 (10) Syria salutaris
13 (11) Osrhoena
14 (12) Mesopotamia
15 (13) Cilicia secunda

[I] *Aegypti* V (cf. Or. 23 praef. Aug.)
praes. 1 (1) Libya superior
2 (2) Libya inferior
3 (3) Thebais
4 (4) Aegyptus
5 (5) Arcadia
corrector. (6) Augustamnica

[III] *Asianae* X (cf. Or. 24 vic. As.)
cons. 1 (1) Pamfylia
2 Hellespontus
3 (2) Lydia
praes. 4 (6) Pisidia
5 (5) Lycaonia
6 (7) Frygia Pacatina
7 (8) Frygia salutaris
8 (4) Lycia
9 (3) Caria
10 Insulae

[IV] *Ponticae* X (cf. Or. 25 vic. Pont.)
cons. 1 (2) Galatia
2 (1) Bithynia
corr. (3) Paflagonia
praes. 3 (4) Honorias
4 (6) Cappadocia prima
5 (7) Cappadocia secunda
6 (9) Pontus Polemoniacus
7 (8) Helenopontus (Or. 1 : 7. 6)
8 (10) Armenia prima

9 (11) Armenia secunda
10 (5) Galatia salutaris

[V] *Thraciae* VI (cf. Or. 26 vic. Thrac.)

cons. 1 (1) Europa
2 (2) Thracia
praes. 3 (3) Haemimontus
4 (4) Rhodopa
5 (5) Moesia secunda
6 (6) Scythia

B (Or. 3) sub disp. v. ill. praef. praet. per *Illyricum* sunt dioceses infrascriptae: Macedonia Dacia.

provinciae:

[VI] *Macedoniae* VI

procons. 1 Achaia
cons. 2 Macedonia
3 Creta (Or. 1 : 3. 2)
praes. 4 Thessalia
5 Epirus vetus
6 Epirus nova et pars Macedoniae salutaris

[VII] *Daciae* V

cons. 1 Dacia mediterranea
praes. 2 Dacia ripensis
3 Moesia prima
4 Dardania (Or. 1 : 5a. 4. 5b)
5 Praevalitana et pars Macedoniae salutaris

C (Occ. 2) sub disp. v. ill. praef. praet. *Italiae* dioceses infrascriptae: Italia Illyricum Africa.

provinciae:

[VIII] *Italiae* XVII (cf. Occ. 19 vic. U. Rom.)

cons. 1 Venetiae (et Histriae)
2 Aemiliae
3 Liguriae
4 Flaminiae et Piceni annonarii
5 (2) Tusciae et Umbriae
6 (3) Piceni suburbicarii
7 (1) Campaniae
8 (4) Siciliae
corr. 9 (5) Apuliae et Calabriae
10 (6) Lucaniae et Brittiorum (B. et L.)
praes. 11 Alpium Cottiarum
12 Raetiae primae
13 Raetiae secundae
14 (7) Samnii
15 (10) Valeriae
16 (8) Sardiniae
17 (9) Corsicae [90 Illyr. Ital.)

[IX] *Illyrici* VI (cf. Occ. 1 ubi 51. 52 et 85.

cons. 1 Pannoniae secundae
corr. 2 Saviae
praes. 3 Dalmatiae
4 Pannoniae primae
5 Norici mediterranei
6 Norici ripensis

[X] *Africae* V (cf. Occ. 20 vic. Afr.)

cons. 1 (1) Byzacium
2 (2) Numidia
praes. 3 (4) Mauritania Sitifensis
4 (5) Mauritania Caesariensis
5 (3) Tripolis

D (Occ. 3) sub disp. v. ill. praef. praet. *Galliarum* dioceses infrascriptae: Hispaniae Septem provinciae Britanniae (Gallia Hispania Britannia Kiepert).

provinciae:

[XI] *Hispaniarum* VII (cf. Occ. 21 vic. Hisp.)

cons. 1 (1) Baetica
2 (2) Lusitania
3 (3) Callaecia
praes. 4 (4) Tarraconensis
5 (5) Carthaginiensis
6 (6) Tingitania
7 (7) Baleares

[XII] *Septem provinciarum* XVII (cf. Occ. 22 vic. VII prov.)

cons. 1 (1) Viennensis
2 (2) Lugdunensis prima
3 (3) Germania prima
4 (4) Germania secunda
5 (5) Belgica prima
6 (6) Belgica secunda
praes. 7 (7) Alpes maritimae
8 (8) Alpes Poeninae et Graiae

9 (9) Maxima Sequanorum
10 (10) Aquitania prima
11 (11) Aquitania secunda
12 (12) Novem populi
13 (13) Narbonensis prima
14 (14) Narbonensis secunda
15 (15) Lugdunensis secunda
16 (16) Lugdunensis tertia
17 (17) Lugdunensis Senonia

[XIII] *Britanniarum* V (cf. Occ. 23 vic. Brit.)

cons. 1 (1) Maxima Caesariensis
2 (2) Valentia
praes. 3 (3) Britannia prima
4 (4) Britannia secunda
5 (5) Flavia Caesariensis.

de singulis non ago neque quae cui contra ordinem posita esse videbuntur nunc curo. ordinem eo quo in Notitia Urbis Romae fecimus modo pertractare iam spatium nos vetat, meridianam fuisse formam ex qua haec imperii Romani discriptio facta est neminem aut non intellecturum aut negaturum esse existimo. quamquam sunt homines tam tardi et fastidiosi ingenii qui nisi ad unam formam omnia coacta sunt nullum ordinem esse vociferentur, in variis exemplis summam et originem rerum perspicere nesciant. itaque cur e. g. in Italia ab Alpibus initium fiat dum causam ipsis explorandam relinquimus, iuvat adnotare formas quoque seu delineationes topographicas quae hic illic a Notitiae dignitatum codicibus inseruntur directionem monstrare eandem quam diximus imperii fuisse meridianam. velut Or. 29 Isauriae figura haec fere est si solam dispositionem respicimus

Mare

Tarsus

mons Taurus

quae quam bene et loci naturae et formae meridianae conveniat in aperto est. Or. 31 Nilus depingitur cum ostiis versus imam partem tabulae defluens litteris FL. NILVS in columnae formam scriptis quamquam castella quae utrimque sunt ordine posita non videntur. cf. Or. 34 fl. Iordanis, Or. 36 Mesopotamia fl. Tigris et fl. Eufrates de quorum situ cum ad sinistram i. e. orientem convergant non dubitabitur. neque ceteros provinciarum laterculos nunc in medium profero quoniam neque historiam imperii enarramus et implicatior res est quam quae paucis absolvi possit. nam aliis rationibus alius ordo constitutus est neque omnes unius temporis sunt laterculi neque ad unum exemplum deducendi, velut qui rerum gestarum p. R. breviario inseruit provinciarum (praeter Orientis) indices Rufus Festus cum propter rerum historiam ab occidente versus orientem potius procederet, in provinciis quoque suo ordine usus est. tamen vide quomodo c. g. in his formae dispositio ut ita dicam pelluceat, c. 6 sunt in Gallia Aquitania et Britanniis provinciae XVIII: Alpes maritimae, provincia Viennensis, Narbonensis, Novempopulana, Aquitaniae duae, Alpes Graiae, Maxima Sequanorum, Germaniae duae, Belgicae duae, Lugdunenses duae, in Britannia Maxima Caesariensis, Flavia Caesariensis, Britannia prima, Britannia secunda. vide porro provinciarum laterculum Polemii Silvii qui incipit ab Italia (Seeck Not. dign. p. 254): Campania, Tuscia cum Umbria, Emilia, Valeria, Flaminia, Picinum, Liguria, Venetia cum Histria, Alpes Cottiae, Samnium, Apulia cum Calabria, Brittia cum Lucania, Raetia prima, Raetia secunda, Sicilia, Sardinia, Corsica. quod nobis propositum erat ut quomodo orbis Romanus directus esset cognosceremus executi sumus. itaque unum laterculum Veronensem adiecisse satis sit quo ipsius Diocletiani divisio imperii omnium accuratissime servata esse videtur (cf. Ohnesorge die römische Provinz-Liste von 297, Teil I Duisburg 1889), sunt autem dioceses haec (Seeck Not. dign. p. 247):

Orientis Pontica Asiana Thraciae Misiarum Pannoniarum Britanniarum Galliarum Biennensis Italiciana Hispaniarum (provincias dicit Beticam Lusitaniam Kartaginiensis Gallecia Tharraconensis Mauritania Tingitania) Africa. interim quo facilius res uno obtutu comprehenderetur in forma imperii Romani quam infra exhibendam duxi cum Kieperti tabula ipsius divisionem non mutatam indicavi.

rem observatione dignissimam per multorum saeculorum decursum persecuti omnibus quaestionibus satisfecisse videbimur quae de forma et Urbis Romae et orbis antiqui moveantur. sed rei quam exploravimus causas quoque et originem aperire decet atque quomodo res ad nostram aetatem nostrumque in fingendo orbe morem devenerit monstrare. nos enim qui nunc sumus rerum antiquarum studiosi non ita philologi sumus ut rebus quae antiquitus fuerint et temporum cursu iam obsoletis indagandis contenti rivulos consectemur, fontes rerum non videamus neque quae res antiquae ad nostra instituta nostrosque mores et rectius iudicandos et augendos faciant cordi non habeamus.

itaque ut primum quomodo ordo rerum ita mutatus sit ostendam ut nobis contra quam antiquis fuit orbis ad septentrionem deversus esse videatur, nam simplicior ea res est, nostram de directione poli vulgarem consuetudinem totam inde profectam esse apparet quod de forma globi terrestris quomodo res se haberet dudum intellectum est, etiamsi quam partem hac quoque in re litterae antiquae habuerint nunc exponere longum est. sed non unius horae momento orbis cardo ita inversus est ut quae olim summae essent terrae partes soli subiacentes nunc imae collocarentur, sursum emergerent quae antiquis ima haberi solita sunt. nam ita cum omnes in natura res tum res humanas mutari videmus ut sensim atque pedetemptim in novas formas deflectant. formam et Urbis et orbis antiquitus meridianam fuisse cognovimus, septentrionalem nunc esse videmus. sed per omnia quae intersunt saecula tabulae ex oriente constitutae fuerunt qui medius est inter meridiem ac septentrionem.

atque orientales fuisse formas medii aevi fere omnes supra diximus. exempla abundant quorum magnam copiam sive potius indigestam molem Santarem (cf. libri s. l. indicem s. v. Orientation) Lelewel Wuttke Iomard Marinelli (die Erdkunde bei den Kirchenvätern 1884) alii contulerunt. oriens autem quamobrem postea cardo factus sit haud difficile est dictu. namque cum apud occidentales populos terram non sphaeram sed tabulam esse communis esset opinio, quam quidem opinionem ab ipsis Romanorum scriptoribus acceperant, pauca quae sciebant ita inter se conectere et omni arte in unius notionis ambitum et systematis formam redigere studebant ut de novis regionibus explorandis ne cogitarent quidem, paradisum autem quo generis humani auctores expulsi ferebantur eadem forma comprehendendum esse putarent. paradisus in oriente situs fuisse Genes. 2, 8 dicitur, Hierosolyma umbilicum terrae esse nuntiavit Ezechiel 5, 5. itaque in summa regione qua par erat protoplastos homines depulsos et ut ita dicam deiectos esse paradisum et orientem solem constituerunt, Hierosolyma in media forma posuerunt, eam regionem mundi cardinem esse voluerunt qua ut lux hominibus cottidie affulgeret, ita quasi lux salutis affulsisset et Salvatoris facies totum orbem prospicere videretur. orientis solis quanta ubique et gentium et temporum veneratio fuerit scimus, templa deorum et ecclesias Christianas ad orientem converti solitas esse imprimis Nisseni collegae spectatissimi acumine atque industria compertum habemus. itaque postquam nova fides pervaluit cum ad unum orientis

signum omnia referrentur, pro divinis institutionibus humanae artes iacerent, veterum more deserto Urbis quoque et orbis formam ad Salvatoris sepulcrum et paradisi situm direxerunt, et ita illis temporibus quae cruciatorum expeditiones praecesserunt omnium oculi in orientem conversi sunt ut quo modo ipsum orbem intueri solebant eodem non ecclesias solum constituere sed etiam in formis omnium urbium atque terrarum situm comprehendere atque depingere vellent. hinc illae quae per tot saecula regnaverunt formae terrarum in quibus abiecta omni quam Graeci auctores docuerant arte et deserto quem Romani sequebantur more cum novis nominibus veteres memoriae mire consociatae effinguntur, summa parte conspicitur imago paradisi, ima regione in oceano nantes columnae Herculis; hinc illae de oriente fabulosae narrationes quae eos qui primi ad novas terras explorandas profecti sunt impulerunt ut prae ceteris orientem peterent ut Marcus Polus alii. quae forma ut sunt homines studiosi omnia ad simplicem quandam regulam et perfectam speciem exigendi (unde mirae illae quas Arabes protulerunt figurae geometricae), paullatim eo deducta est ut orbis schema esset id quod etiam a. 1422 dixit Dati spera 3, 11 (cf. Augustin. c. d. 16, 17)

Asia

Europa | Africa

un T dentro a un O mostra il disegno
come in tre parte fu diviso il mondo.

forma orientalis quando primum in locum meridianae antiquae successerit ignoramus cum formarum exempla saeculo VIII antiquiora non habeamus, forma Romana nulla servata sit. quae res aliquo modo effici poterit ex scriptorum testimoniis et variis quae exstant cosmographiis, sed minores illi quos dicimus geographi maiorem quisque operam requirunt quam quae hoc loco impendi possit. ceterum quidquid fere formis orientalibus inest notitiarum ex antiquis exemplis repetitum esse nemo non videt, ad restaurandas formas antiquas et utiles et necessarias eas esse omnes intellexerunt, tamen de directione quam tractamus hac re nihil probatur. erraverunt igitur cum alii tum Philippi zur Reconstruction der Weltkarte des Agrippa 1880 et Historische Untersuchungen A. Schaefer gewidmet 1882 p. 239, qui quod orientalem formam Romanam sive Augusti sive Agrippae dixerunt uno nituntur argumento, quod medii aevi formas ita directas esse animadverterunt, aut cum haec ignorarent ut solent quibus de formis antiquis agendum est, modo ea de forma Urbis Romae Capitolina opinione quam supra explosimus decepti aut Nisseni egregiis inventis male usi sunt; quamquam orientales fuisse formas Romanas totiens repetitum est ut multis credita res sit et tamquam indubitatam pro demonstrata acceperint. neque minus erravit qui vel tribuum urbanarum rusticarumque et regionum Augusti Urbis Romae atque Italiae ordinem legitimum ab oriente ad occidentem directum fuisse subtili artificio excogitavit Kubitschekius de Roman. tribuum orig. ac propag. p. 52. 203.

cum forma orbis dudum in orientem conversa esset, forma Urbis Romae meridiana usque ad saeculum XIV permansit. nam quae ratio erat ut orbem ad paradisum et Savatoris sepulcrum inverterent eadem in Urbe minus valebat. accedit quod terrarum mariumque situm ut forma orientalis evaderet conservare licuit, nomina tantum alio ordine adscribere oportuit, contra Urbis forma sollemnis cum non esset mera ichnographia ad modum formae Capitolinae, sed monumentorum imaginem et certum prospectum redderet, nisi multa arte et facie prorsus mutata

90 gradibus declinari non potuit. duravit igitur forma antiqua ut duravit discriptio et Augustea XIV regionum et VII regionum ecclesiastica, neque, sive cultu quodam et veneratione antiquitatis sive consuetudine et vi inertiae quae multa est in his rebus factum id esse dicemus, per tot saecula quicquam novatum est. interim cum qui antea colles habitaverant in Campum Martium descenderint situ commodiore et frequentia S. Petri adducti, inde a saeculo XII 'civitatem Romanam' quae nunc facta est renasci et reviviscere cernimus. nam postquam continuis bellis inter papas et imperatores gestis municipia Italiae libertatem quandam sibi vindicaverunt, a. 1143 Romani pristino nomine Senatum restituerunt, deinde Arnoldo de Brescia duce pro civitatis libertate acriter pugnatum est. regionum vicissitudines quae inde exortae sunt optime exposuit Camillus Re le regioni di Roma nel medio evo, Studi e documenti di storia e di diritto 10 (1889) 349—381, quae nos summatim percurramus necesse est. illis enim ipsis temporibus cum regiones antiquae oblivione paullatim obruuntur, primum novae Urbis discriptionis vestigia apparent, commemorantur 'regiones XII Romane civitatis, Transtyberini et Insulani' (Re p. 368), a. 1220—26 nomina novarum regionum (ut XIV regionum antiquarum nomina ex usu vulgari recepta et magna ex parte iam antea cognita velut a. 1145, Re p. 367) ordine tamen liberiore componuntur ('et sic XII principales regiones in urbe sunt ordinate que divise sunt in XXVI' i. e. bis XII cum insula et Transtiberim, 'et notandum est quod per excellentiam Romana urbs divisa regiones appellavit, quia relique civitates sunt divise per portas et contradas, nam regio dicitur generaliter Magna provincia et maximum terre spacium' ex codice Vindobonensi Re p. 372), a. 1305 dicuntur XIII (Re p. 375), certo ordine enumerantur a. 1393 in Notitia ecclesiarum (Urlichs codex topographicus p. 170), et ordine sollemni quo hucusque Romani utuntur a Caballino (ante a. 1402 Urlichs p. 145) et a Signorilio libello de iuribus et excellentiis Urbis Romae ad Martinum V papam (1417—31) dato (Re p. 376), denique a. 1586 'ex Senatus consulto statutum est de assumenda Civitate Leonina in XIV regionem Urbis' (Re p. 378), qua re novus regionum ordo absolutus est nisi quod limites postea correxit Benedictus XIV (Re p. 380) qui formam Severianam in Capitolio posuit. statum rerum his saeculis mutatum nova quoque Urbis et facies et distributio demonstrant. neque enim solum quae antea fuerant regiones VII et IX nunc novem factae sunt, regionum antiquarum III. IV. V. VI spatia iam deserta una regione 'Montium' comprehenduntur, sed forma quoque Urbis quae novae dispositioni pro fundamento fuit ex illorum saeculorum more ad orientem constituta est. ecce enim distributionem Urbis Romae secundum XIV regiones Sixti V



q. d. quorum nomina infra adscribam (uncis adiecto ordine paullulum diverso qui est in Notitia ecclesiarum — discrimina non per-

sequor — et nominibus alterius cuiusque regionis 'contradae' quae et in laterculo Vindobonensi et in Notitia ecclesiarum et apud Caballinum reperiuntur)

I	(I)	Montium (et Biberatice)
II	(II)	Trevii (et Vielate)
III	(III)	Columpne (et S. Marie in Aquiro)
IV	(IV)	Campi Martis (et S. Laurentii in Lucina)
V	(V)	Pontis (et Scorticlariorum)
VI	(VIII)	Parionis (et S. Laurentii in Damaso)
VII	(VII)	Arenule (et Caccabariorum)
VIII	(VI)	S. Eustachii (et Vinea Tedemarii)
IX	(IX)	Pinee (et S. Marci)
X	(XII)	Campitelli (et S. Adriani)
XI	(X)	S. Angeli
XII	(XI)	Ripe (et Marmorate)
XIII	(XIII)	Transtyberim
XIV		Civitatis Leoninae [Borgo]

quarum ordinem orientalem esse nemo non intellegit. sed facies Urbis funditus immutata est ita ut novae regiones cum antiquis prorsus nullam habeant similitudinem.

dimensurationem Urbis his regionibus expressam secuti aliquanto post etiam in imaginibus seu formis pictis pro meridiano cardine qui per XX saecula fuit orientalem directionem substituerunt. nam post Leonem Baptistam Alberti et Alexandrum Strozzi 1474, post formas impressas a. 1490 et Schedelianam 1493 (ac Sebastiani Münster 1549) demum 'nel secolo XVI muta radicalmente nelle piante topografiche l'orientazione della città: il punto di veduta è dal Gianicolo, in alto l'oriente, la via del Corso divide orizzontalmente gran parte della città, il Vaticano, veduto quasi da tergo, è sceso dall' angolo superiore di destra all' inferiore di sinistra' (Gnoli bullet. comun. 1885 p. 71) — adeo quae longo usu corroborata sunt, iusto longius perseverare videmus, nova nisi paullatim non recipi atque assimilari. cuius rei mirabile documentum quod orientalis haec forma Urbis hucusque cum religione servatur, discriptionem dico, nam dudum Romani qui quam partem orbis terrarum universi natura sibi tribuerit intellexerunt, suam inter populos sedem obtinuerunt, ut totum globum ita cum Italia Romam ad polum directam depingere cum ceteris populis consueverunt. novae Italiae provinciae sunt XVI: Piemonte Liguria Lombardia Veneto Emilia Umbria Marche Toscana Roma Abbruzzi e Molise Campania Puglie Basilicata Calabrie Sicilia Sardegna, novae legiones XII eodem ordine constitutae: I Torino II Alessandria III Milano IV Piacenza V Verona VI Bologna VII Ancona VIII Firenze IX Roma X Napoli XI Bari XII Palermo, novae Urbis Romae formae quotquot fiunt septentrionem versus spectant et portam Flaminiam summa in regione positam et Campum Martium nostrae Romae sedem supra montes Urbis antiquae situm repraesentant. durat tamen postquam forma meridiana et pagana cessit orientali distributio illa iam obsoleta quae dedecet Romam regiam novo splendore auctam, viis ferreis telegraphisque et disputatorio publico diariisque et quacunque re nostrum saeculum gloriari solet munitam, omni arte ac litteris laete florentem. novae Urbi nuper XV si dis placet regionem eos adiecisse audimus, XIV regionum Urbis VII montium numerum tot saeculis sacratum aboleverunt, neque tamen formam Urbis Romae quattuor post Columbum saeculis ad septentrionem et polum quo haec terra volvitur convertendam curaverunt.

restat ut quae de origine formarum antiquarum e meridie directarum statui posse videantur exponam. nos humi nati quantum a solis cursu pendeamus qui vitam nostram ac fata regit neminem fugit. quare semper homines et formas et quaslibet discriptiones ex quattuor quae cardinales sunt caeli regio-

nibus disposuerunt, sed aliis temporibus aliam normam constituerunt. nos enim cum globum terrestrem ita soleamus mentibus fingere ut polus arcticus superior sit quia nobis propior est — neque qui nostrum hemisphaerium incolimus ea sede nos deici patiemur, Africae Americae meridionali Australiae locum cedemus — ad septentrionem omnes formas exigimus, maiores nostri ad Salvatoris sepulcrum et paradisi quem credebant situm convertebant, veteres cur meridiem secuti sint quaeritur. quam vim in antiquorum religione atque institutis solis et stellarum cursus habuerit Nissenus imprimis ostendit libro cui inscripsit das Templum Berlin 1869 et dissertationibus über Tempelorientirung, mus. rhen. 28 (1873) 513, 29 (1874) 369, 40 (1885) 38. 329. 480, 42 (1887) 28. atque aedes sacras ad orientem solem eius diei quo dedicatae sunt directas fuisse constat — quae res dissert. pr. p. IX ad formae Capitolinae fr. 2. 6 explicanda aliquantum contulit. tamen de formis hac re nil efficitur, nam quin meridianae fuerint veterum formae iam credo nulla dubitatio relicta est. quae cum ita sint propter religionem ad meridiem eas conversas esse non putabimus, si religione devinctae non fuerunt, aliae causae eaeque ex vita communi potius petitae circumspiciendae sunt. ut scriptores qui de limitibus constituendis testantur paullum mittamus, rem suapte natura perspicuam cognoscamus, qui primi fuerunt homines subtilioribus observationibus nondum intenti, ex oriente sole et occidente et diei spatia et caeli regiones facili opera et vitae usu edocti mox distinxerunt, ut est apud Homerum ν 240

ἠμὲν ὅσοι ναίουσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε
ἠδ' ὅσσοι μετόπισθε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

sed orientis occidentisque et hora et locus variis anni temporibus mutantur, sinistrorsum sol oriens verno tempore declinat usque ad solstitium, dextrorsum autumno; tum qui ab horis matutinis ad vesperum vitae cottidianae operam impendunt homines intervalla requirunt quibus medius dies (μεσημβρία) significetur. igitur hoc punctum temporis secernunt, hanc regionem caeli qua solis itinera dividantur student ut prae ceteris distinguant. itaque ubique gentium inter montes si aderant eum selegerunt quo meridies indicari videretur, unde frequentes illi montes quos 'Mittaghorn', 'Col du Midi' sim. nuncupant; montes ubi non erant arboribus aedificiis similibus signum quo sol verticem attigisse videretur destinabant et procedente aetate solariorum usum invenerunt. in re tam simplici testes afferre si licet verba Plinii n. h. 7, 60, 212 adscribam quibus egregie harum rerum origo illustratur. 'serius etiam hoc (consensus in horarum observatione) Romae contigit. XII tabulis ortus tantum et occasus nominantur (ut in Homero vidimus), post aliquot annos adiectus est et meridies, accenso consulum id pronuntiante cum a curia inter Rostra et Graecostasim prospexisset solem, a columna Maenia ad carcerem inclinato sidere supremam pronuntiavit, sed hoc serenis tantum diebus, usque ad primum Punicum bellum. princeps Romanis solarium horologium statuisse ante duodecim annos quam cum Pyrrho bellatum est ad aedem Quirini L. Papirius Cursor a Fabio Vestale proditur . . . M. Varro primum statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico primo a M'. Valerio Messalla consule Catina capta in Sicilia . . nec congruebant ad horas eius lineae, paruerunt tamen eis annis undecentum (!), donec Q. Marcius Philippus diligentius ordinatum iuxta posuit . . Scipio Nasica primus aqua divisit horas aeque noctium ac dierum' sqq. celeberrimum fuit solarium Augusti qui obeliscum ex Aegypto advectum in Campo Martio hunc in usum erexit.

haec primordia et ut ita dicam incunabula artis chronologicae et topographicae fuerunt

ut apud Graecos qui primus solarium horologium invenisse fertur Anaximander, eundem primum formam terrae temptavisse tradunt. iam quomodo quaeso eum qui neque doctrina adiutus neque consuetudine inveterata coactus regiones describere conetur situm dispositurum esse existimabimus? aut ego fallor aut, quin terra quasi discus sit cum non dubitaverit, spatia terrarum aeque atque diei intervalla distribuet. quodsi aequatori q. d. proximus sit, ab ea regione qua solem orientem videat ad occasum linea ducta huic alteram transversam constituat a meridie ad septentrionem. nos qui polo propiores sumus, solem prospicimus qui caeli situm percurrit, totum cursum ante oculos proiectum cernimus, sed cum oriens et occidens aequinoctialis nisi longa observatione definiri nequeant, omnium directionum cardo certissimus relinquitur meridianus quem adipiscimur ea linea qua umbra quando minima est indicatur. iam ut cognoscas quomodo antiqui limites constituerint audi quae dicit Hyginus gromat. p. 188 'optimum est ergo umbram hora sexta deprehendere et ab ea limites incohare ut sint semper meridiano ordinati: sequitur deinde ut et orientis occidentisque linea huic normaliter conveniat . . per quam lineam cardinem dirigemus et ab ea normaliter in rectam decimanos emittemus: et ex quacunque eius lineae parte normaliter intervenerimus, decimanum recte constituemus' (cf. Nissen Templum p. 14. 163) — prorsus eodem modo quem diximus usi sunt. itaque naturalis nobis qui nostrum hemisphaerium incolimus et legitimus ordo is esse videtur ut a sinistra habeamus orientem, a dextera occidentem solem, anticus sit sol qua meridie ad verticem pervenit, postica spatia noctis subiecta. hunc autem ordinem quem naturalem esse et pristinum fuisse ipsa ratio docet etiam Romanis usitatum fuisse iterum testem affero Plinium n. h. 2, 128 'omnes venti vicibus suis spirant maiore ex parte aut ut contrarius desinenti incipiat. cum proximi cadentibus surgunt, a laevo latere in dextrum ut sol ambiunt' itemque solis cursus depingitur in gromaticorum codicibus tab. 17, 159. quamquam et in his rebus cavendum est ne qui nobis naturalis ordo videtur eum semper fuisse praepostere sumamus. Romanis inde a Servii Tullii aetate ordine qui est a sinistra ad dexteram communem fuisse vidimus (cf. Plut. Cam. 5 καθάπερ ἐστὶ Ῥωμαίοις ἔθος ἐπευξαμένοις καὶ προσκυνήσασιν ἐπὶ δεξιὰ ἐξελίττειν, Num. 14 ἡ δὲ περιστροφὴ τῶν προσκυνούντων λέγεται μὲν ἀπομίμησις εἶναι τῆς τοῦ κόσμου περιφορᾶς (ab oriente ad occidentem), Plin. n. h. 28, 25 'in adorando corpus circumagimus quod in laevum fecisse Galliae religiosius credunt' cf. Nissen p. 170), sed antea ordine inverso hominum genus utebatur ut ex scribendi more atque directione facile concluditur, qui num naturae magis conveniat nescio, nobis tamen hucusque mansit atque inhaesit cum verba 'dextra laevaque' ('rechts und links') simplici modo coniuncta ponimus. fuit ergo tempus quo sol sinistra parte oriri, dextera occidere videretur cuius rei testis oculatissimus est Homerus cum dicit M 239

εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε
εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοί γε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα,

eo tempore quo ita loqui mos erat si scriptura usu recepta erat a dextera ad sinistram litteras exarare solebant.


sed ut ad propositum revertamur, pro cardine primitus meridiem stetisse certum est et Romanis inde a Servio Tullio orientem a sinistra fuisse supra p. XI vidimus. ad meridiem igitur formas exactas esse pro illius aetatis indole atque doctrina unice aequum iudicabimus. neque quod templorum ac praesertim aedium sacrarum ratio alia fuit contra rem facere videtur. nam in his id agebant ut ipsum dei simulacrum sacro dedicationis

die solem ubi primum oriretur prospiceret, in formis autem cum non unius diei linea, sed certis atque determinatis limitibus opus esset, non punctum indicandum sed campi spatia dimensuranda essent, cardo meridianus omnium longe utilissimum se praebuit. si postea his quoque rebus templorum rationes intulerunt — quamquam in forma Urbis Romae et orbis Romani numquam factum esse novimus — propter rationes a religione qua vita Romana regebatur petitas intulisse existimandi sunt.

atque re vera ab antiquis eo quem ex moribus pristinis coniecimus modo formas constitutas esse, ipsi cosmographiarum auctores confirmant. iuvat verba apponere geographi Ravennatis 1, 1 'ergo dum sol totam diem per meridianum marginem potentissimi iussu factoris exambulat, unamquamque horam diei verno tempore tamquam horologium ordinem suum per occursum designat, possumus arbitrari universarum gentium patrias per magnum circuitum intransmeabilis oceani litore positas et Christo nobis auxiliante subtilius designare. prima ut hora diei Indorum reperiuntur prosapiae' sqq. gentes describuntur ab oriente per regiones meridianas ad occidentem, deinde 1, 10 'per nocturnos occursus solis (ab occidente ad orientem) arctoae regiones ponuntur'. — cum his digna est quae conferatur L. B. Alberti descriptio Urbis Romae (c. a. 1457) apud de Rossium Piante p. 131, ex qua quomodo ipsa forma recuperari possit exemplo monstravit Gnolius bullet. comun. 1885 tav. IX. X — 'simple retour à la carte plate rudimentaire' dixit d'Avezac coup d'oeil historique sur la projection des cartes de géographie, bulletin de la soc. de géogr. 1863 p. 291.

formae igitur Romanae e caeli templo directae erant, eius autem 'templi partes quattuor dicuntur, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem' Varro l. l. 7, 6 cf. Fest. p. 339. 220 et Plin. n. h. 2, 142 'laeva prospera existumantur quoniam laeva parte mundi ortus est' al. augures cum templa ab oriente ad occasum determinare solerent, Attius Navius 'ad meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse' Cic. div. 1, 17, 31 (cf. Nissen Templum p. 171 sq.). in domibus privatis num antiqui item atque in aedibus sacris aliis orientem praetulerint nescio (cf. Vitr. 6, 6, 1. 5 'item agricolae regionum periti non putant oportere aliam regionem caeli boves spectare nisi ortum solis') — in Bucovina ut memorem agricolarum domos ad meridiem hodieque spectare solere et ipse observavi et testatur Romstorfer das Bauernhaus in der Bukowina, Czernowitz 1890 p. 12.

contra maxime mirum est quod veteres scriptores gromatici agrorum atque coloniarum formas quas cum formis de quibus agimus artissime cohaerere manifestum est, non ad meridiem sed ad orientem converti iubent. de ipsa re dubitari non potest. 'ab hoc fundamento maiores nostri in agrorum mensura videntur constituisse rationem. primo duo limites duxerunt; unum ab oriente in occasum quem vocaverunt decimanum, alterum a meridiano ad septentrionem quem vocaverunt cardinem. decimanus autem dividebat agrum dextra et sinistra, cardo citra et ultra' (Frontin. p. 28 cf. p. 31 Festus p. 71), ita ut forma agrorum sit haec (cf. tab. 13, 133)



quam nostrum usum secuti orientalem appellabimus; cf. p. 29 'qui spectabant in orien-

tem dicebant prorsos (limites), qui dirigebant in meridianum dicebant transversos'. cardinem certe nominari dicunt 'quod directus ad cardinem caeli est: nam sine dubio caelum vertitur in septentrionali orbe' (p. 28), sed 'quoniam decumani secundum solis decursum diriguntur, cardines a poli axe' (Hygin. p. 166), qua re quaeso adducti sunt ut cardinem sive poli axem non perpendicularem ut decet et ab omnibus factum est, sed horizontalem constituerent? 'limitum prima origo sicut Varro descripsit a disciplina Etrusca, quod aruspices orbem terrarum in duas partes diviserunt, dextram appellaverunt quae septentrioni subiaceret, sinistram quae ad meridianum terrae esset' (Frontin. p. 27), sed qua de causa apud Romanos ordo inversus esset ne quaesiverunt quidem. neque Hyginus quae p. 185 sqq. de globo terrestri et solis circuitu optime exponit quemadmodum cum doctrina gromatica et forma agrorum orientali concilientur ostendit. at tam constans usus et sacratus fuisse videtur, ut cum propter loci naturam a norma declinandum fuerit (p. 180), 'ut in agro Campano qui est circa Capuam, ubi est cardo in orientem et decimanus in meridianum' (p. 29), 'illis coloniis hoc nomine quicquam iniuriae factum' esse negent 'quod cardines loco decumanorum observantur, decumani loco cardinum' (p. 181). sed qui tandem fit ut hanc legem cum formis et Urbis Romae et orbis Romani quas per omnia saecula ordine nunquam mutato meridianas fuisse demonstratum est pugnare non animadverterint aut ne verbo quidem monuerint? tamen causa quae fuerit ut posteaquam formae Urbis et orbis imago meridiana diuturno usu inveteravit ita ut eam invertere nefas videretur, formae agrorum et coloniarum in orientem dirigerentur ipsi aliquo modo produnt. nam 'antiqui architecti in occidentem templa recte spectare scripserunt: postea placuit omnem religionem eo convertere ex qua parte caeli terra illuminatur. sic et limites in oriente constituuntur' (p. 28. 169). itaque ad exemplum aedium sacrarum, quarum rationem paullo diversam supra exposuimus, factum est ut formae quoque agrorum et novarum coloniarum tamquam templa diis sacra instituerentur. formam Urbis et orbis inde a primordiis populi Romani meridianam fuisse vidimus et pristinam esse ipsa rei natura et origine demonstratur. itaque usus quem gromaticorum libri docent multo inferior est et ex templorum religione derivatus. quid quod antiquiores colonias aliquot ut Capuam (p. 29) Beneventum (p. 210) Consentiam Vibonem Clampetiam (p. 209) cardinem in orientem, decimanum in meridianum habuisse tradunt et 'saepe deprehendi decimanum maximum ita institutum ut ad meridianum et septentrionem spectet, cardinem vero maximum orientem et occidentem spectare' (p. 292 cf. Nissen p. 12) i. e. multas colonias aeque ad meridiem directas fuisse ac formam Urbis Romae (cf. Helbig die Italiker in der Poebene p. 61). limitationis originem et usum antiquissimum non solum in caeli regionibus et templis augurum et aedibus sacris locisque auguratis sed etiam in castris et urbibus et agris observatum sagaciter Nissenus explanavit, tamen vereor ut quae longo temporum decursu paullatim creverunt, castrorum doctrinam et agrorum templum orientale iam ante Urbem et urbes conditas apud Italos in usu fuisse recte statuamus, ea quae vita communis deinceps homines edocuit minoris aestimemus quam religionis initia a maioribus accepta, summam limitationis Italiae gentes iam tum attigisse sumamus cum agros Padanos incolerent ipso Pado tamquam decumano maximo dextra laevaque divisos. nam si antiquior fuisset agrorum et urbium condendarum limitatio orientalis, urbium conditarum et imprimis Urbis Romae formas sollemnes atque legiti-

mas non meridianas ut sunt, sed aeque orientales futuras fuisse iure exspectaverimus.

quare ea quoque quae de templo Urbis Romae alii aliter temptaverunt improbanda esse videntur. nam meridianam formam Urbis antiquissimam esse et unam fuisse compertum habemus neque aliter templum Urbis aliter formam dispositam fuisse quisquam contenderit. limites autem novae coloniae si postea religio postulavit ut in orientem converterentur, in situ Urbis cuius incunabula ignoramus eosdem fuisse minime sequitur. itaque mittamus aliquando quaestiones de Urbis Romae decumano et cardine quos alii aliter duxerunt, de templo Urbis et Roma quadrata et mundo Palatino. nam cum antea ex templi limitibus et templo Urbis quod putabant formam quoque Capitolinam orientalem fuisse coniecerint, nunc postquam de forma Capitolina constat, Romam quadratam item ad solstitium brumale conversam fuisse arbitrantur (Richter Verhandl. d. 40. Vers. d. Philologen in Görlitz 1889 p. 336 'dass der Stadt p l a n nach dem Stadt t e m p l u m orientirt gewesen sei'), ut taceam quae alii (velut Kuntze Prolegomena zur Geschichte Rom's 1882) de templo Urbis Romae quam 'in montibus et convallibus positam' videmus nescio utrum facilius an levius protulerunt. neque cum propter 'mobilem solis ortum et occasum' effectum sit 'ut decumani spectarent ex qua parte sol eo tempore quo mensura acta est oriebatur' (Frontin. p. 31) ut sollemne fuit in aedibus sacris, formam Urbis Romae (nam alia res est ut repetam in limitibus novae coloniae constituendis alia in urbe antiquissima et forma saeculorum serie consecrata) a natali die Urbis pendere crediderim. certe aut toto caelo erravimus aut forma Urbis quam inde ab initio fuisse cognovimus neque ad Paliliarum neque ad ullum alium diem constituta est, siquidem sol nunquam a meridie ortus esse iudicandus est. Severum quidem fateor multo probabilius quemquam suspicari posse, cum formam meridianam ad orientem solstitii hiberni deflecteret, superstitione solstitiali inductum esse, quamquam pro natura hominis ad explicandam formam Capitolinam ea via iustior videtur quam supra ingressi sumus.

sed magis etiam quam hoc inter formas quas habemus et agrimensorum praecepta discrimen mirandum est Romanos postquam Graecorum litteras et laudabilem operam ab illis in describenda terra positam cognoverunt, eam quae ex cognitione sphaerae terrestris sequitur directionem non meridianae loco recepisse, suas formas si non Urbis at imperii ad Graeca exempla redegisse. nam Graeci (de quorum studiis circa terrae formam et motum cf. Schiaparelli die Vorläufer des Copernicus im Alterthum 1876, Müllenhoff deutsche Altertumskunde 1² 236—364, H. Berger Gesch. der wissensch. Erdkunde der Griechen I. II 1887. 89) ex quo tempore de terrae figura constabat ad polum arcticum formas direxerunt id quod et tabulae Ptolemaei libris adiectae demonstrant et scriptorum loci comprobant (quo tamen non referendus est cum Philippio Menandr. (rhet. 3, 345 Sp.) πῶς χρὴ χώραν ἐπαινεῖν: εἰ δὲ ἀρκτική, ὅτι τὸ ὑψηλότατον τῆς γῆς καὶ ὑπόβορρον ὥσπερ ἀκρόπολις κατέχει, nam Aristotelis sententia est ὑψηλὴν εἶναι πρὸς ἄρκτον τὴν γῆν meteorol. 2, 1 cf. Verg. Ge. 1, 240 Iustin. 2, 1; unde nata est mira illa figura mundi quam finxit Cosmas Indopleustes cf. Marinelli l. i. c. p. 48). ita et ipse Ptolemaeus in describenda terra hoc ordine procedit ut primum Britannia, deinde Hispania, Gallia, Germania, Pannonia, Illyricum, Italia, Sarmatia, Thracia et Graecia, Mauretania, Africa, Aegyptus, Pontus et Asia minor, Syria, Asia magna usque ad Gangem recenseantur (cf. Strab. al.).

quae res postea Romanos non latuit apud quos cum alia tum zonarum doctrinam totiens

expositam invenies cf. e. g. Cic. somn. Scip. 20 Tusc. 1, 68; Ovid. fast. 6, 265 qui faciem rotundam templi Vestae a forma globi terrestris repetit, et Sen. Med. 375

venient annis saecula seris
quibus oceanus vincula rerum
laxet et ingens pateat tellus,
Thetysque novos detegat orbes
nec sit terris ultima Thule

cf. Vivien de St.-M. hist. géogr. p. 117. 169), sed ut erant in omni arte liberali et scientia barbari cum re perspecta nunquam eam familiaritatem contraxerunt ut morem inveteratum mutare, orbem quem meridianum fingebant oculis ad septentrionem conversis intueri potuerint. quin etiam multos Romanorum videmus ne eo quidem pervenisse ut terrae formam rotundam mente comprehenderent (cf. Nissen Ital. Landeskunde 1, 19). permansit igitur 'Orbis' i. e. tabulae forma apud Romanos etiam post Eratosthenis et aliorum operam et globum a Cratete confectum, non forma quam scientia postulabat sed expositio imperii 'nostri' et urbium gentium nationum quas populus Romanus subegerat, quo fines imperii protulerat, ut diceret Eumenius 'nunc demum iuvat orbem spectare depictum cum in illo nihil videmus alienum'. Graeci qui et terrae et solis situm motumque dudum perspexerant, formam et magnitudinem terrae conputaverunt, observationibus astronomicis situm locorum determinaverunt, rem geographicam eo perfecerunt, quo illa aetate licuit: Romani cum ne intellexissent quidem quae illi praestiterant non solum non promoverunt sed causa fuerunt ut per tot saecula thesaurus iaceret et squalore obfuscaretur, homines in barbaras illas de terrae forma opiniones relaberentur, quae apud Graecos vix unquam fuerant, ab Aristotele dudum explosas (διὸ καὶ γελοίως γρόφουσι νῦν τὰς περιόδους τῆς γῆς· γράφουσι γὰρ κυκλοτερῆ τὴν οἰκουμένην meteorol. 2, 5, 13), cursus quo quaecumque in vita humana sunt nexu continuo progrediuntur interrumperetur, cum ceterae artes tum geographica ea demum aetate renasceretur, qua Ptolemaei et scriptorum Graecorum immortalia opera in lucem redierunt primum ut ab avida mente reciperentur, tum ut exemplo essent ad nova temptanda et scientiae fines ultra propagandos. Graecos dixi observationibus astronomicis artis geographicae fundamenta iecisse, Romani quidquid inde ab Agrippa et Augusto profecerunt (cf. Partsch die Darstellung Europa's im geogr. Werke des Agrippa 1875 p. 80), nil aliud egerunt quam ut ex itinerariis viarum quas ipsi fecerant suarum provinciarum imaginem qualemcumque effingerent, usui qui illis in animo erat aptissimam, Romani imperii et Romanae mentis atque naturae monumentum insigne. quam rem optime sensit et interpretatus est Vergilius versibus celeberrimis Aen. 6, 850

alii . . caeli meatus
describent radio et surgentia sidera dicent:
tu regere imperio populos, Romane, memento.

neglecta iacuit ars geographica per medii aevi spatia deserta, in formis describendis intra veterum fines se continebant, sed Romanos potius duces secuti sunt ita ut in una forma Prisciani q. d. (Philippi tab. 4) longitudinum et latitudinum ductus quamvis degenerati compareant, Graeci auctores rarissime nominentur. de figura terrae omnis notio paullatim oblitterata est, forma 'Orbis' eo reducta quo s. p. XXI vidimus (cf. Peschel Gesch. der Erdkunde p. 72. 90 sq., Marinelli die Erdkunde bei den Kirchenvätern 1884, Günther die Lehre von der Erdrundung und Erdbewegung im Mittelalter bei den Occidentalen, Studien I, bei den Arabern und Hebräern, Studien II 1877); opinionis communis testis sit Lactantius div. inst. 3, 23 'aut est quisquam tam ineptus qui credat esse homines quorum vestigia sint superiora

quam capita? aut ibi quae apud nos iacent inversa pendere? . . . et miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari cum philosophi et agros et maria et urbes et montes pensiles faciant!' rectius iudicium quomodo renatum et post varia certamina ab omnibus receptum sit quamque partem et hac in re et in novis terrae partibus explorandis Graeci habuerint ut paucis comprehendam, iam inde a saeculo IX Graecorum scientiam ad Arabes pervenisse vidimus, qui almagesti nomine Ptolemaei μεγίστην σύνταξιν suum in usum converterunt. ab his saeculo XIII ceteri cum Ptolemaei et Aristotelis libris iustiorem quoque de terrae forma notionem acceperunt, Albertus Magnus, Roger Baco, alii (cf. Dante inf. 34, 100 Santarem 1, 98), ita ut Albertus Magnus ausus sit contendere 'inter horizontem habitantium iuxta Gades Herculis et orientem habitantium in India non est in medio ut dicunt nisi quoddam mare parvum' (cf. Peschel p. 180 sqq., de Abulfeda p. 120) — ut Eratosthenes apud Strabonem 1 p. 64 κἂν πλεῖν ἡμᾶς ἐκ τῆς Ἰβηρίας εἰς τὴν Ἰνδικὴν διὰ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου, Posidonius apud Plinium 6, 57 Indiae 'adversam Galliam statuit', Sen. n. q. 1 pr. 13 'quantum enim est quod ab ultimis litoribus Hispaniae usque ad Indos iacet?' — Baconis tabulas et almagestum secutus est Alliacus imagine mundi a. 1410 (Lelewel atl. t. 28 cf. Peschel p. 195). iam vero postquam ipsius Ptolemaei libri Graeci ex oriente in Italiam pervenerunt (cf. Th. Fischer mittelalt. Welt- u. Seekarten p. 159), Bembus cardinalis a Chrysolora petivit ut Ptolemaei opera in linguam Latinam verteret; vertit Iacobus Angelus Florentinus (c. a. 1405) cuius versionis multa deinceps exempla descripta sunt, quae typis impressa prodiit Bicentiae a. 1475. interim in Germania Nicolaus Donis non solum et ipse Ptolemaeum vertit, sed ex mente Ptolemaei primus novas formas confecit ad septentrionem directas (a. 1471 Lelewel atl. t. 39), quae primum a. 1482 Ulmae cum versione impressae (post editionem Romanam a. 1478) brevi cum omnium plausu acceptae sunt. similes formas a. 1474 Paulus Toscanelli ad Alfonsum V misit quibus quanto brevius iter in Indiam esset versus occidentem navigaturis demonstraret. Alliaci libris qui compendio cosmographiae (edita sunt opuscula a. 1480) secundum Ptolemaei tabulas opus refecit usus est atque novas formas ab ipso Toscanellio accepit Christophorus Columbus — quae postea facta sunt nemo nescit. eodem anno quo Martinus Behaim primus post Cratetem Mallotam et antiquos globum terrestrem secundum Ptolemaeum confecit (Vivien de St.-M. atl. t. 9), Columbus oceano traiecto ad novam et incognitam terram appulit. iam abiectis medii aevi formis et cosmographiis regnavit Ptolemaeus, cuius operum unius saeculi spatio non minus XXV editiones prodierunt (Graece primum edidit Erasmus Basil. 1533). inde formae modus usu receptus quem Graeci primum recte constituerunt, quem nos hodieque servamus. sed omnium aetatum per quas transiit humana scientia dum huc devenerit vestigia et tamquam rudimenta ut fit in rerum natura conservamus et a maioribus accepta posteris tradimus. nam 'meridianum' quod appellamus longitudines a polo arctico ad antarcticum ferentes Graeci praeiverunt, 'Orbem' terrarum cum dicere pergimus, Romanum morem sequimur, de 'orientatione' cum loquimur ex consuetudine medii aevi adhuc pendemus.

sed ne intermina evadat disputatio iam subsistendum est. quod propositum erat persolvimus, formas explicavimus, vicissitudines quibus ad nostram aetatem perventum est enarravimus. scripsi autem haec de forma Urbis Romae deque Orbis antiqui facie non ut rerum novandarum cupidus ordinem antiquum immutarem atque inverterem, sed

quod res a nemine quod sciam observatae — certe si quis animadvertit argumenti gravitatem non perspexit — et ad historiam litterarum cognoscendam et ad scriptores antiquos illustrandos maximi momenti esse videbantur. sed capita tantum quaestionis proposui, ea percensui quibus formarum dispositio quam clarissime demonstraretur, rem tamen simplicitate conspicuam observationum farragine obscurare potius quam illustrare nolui. verum multa restant eaque longe graviora in quae ut inquireremus iure exspectaveris, quae fusius nos exponere et eo quo decet modo pertractare iam spatium vetat. nam id agendum esse videtur ut non solum quae formarum proiectio fuerit ostendisse satis habeamus, sed etiam omnes quotquot locorum et regionum descriptiones aut in libris geographicis exstant aut a scriptoribus aliis rebus inseruntur aut variis urbium coloniarum provinciarum terrarum gentium ecclesiarum et episcopatuum al. laterculis continentur aut quae singulis locis scriptores ex formae consuetudine posuisse videntur ea qua par est diligentia examinemus et quomodo cum forma meridiana quam diximus congruant evincamus; non quo rem iam certis argumentis demonstratam sescentis exemplis iterum atque iterum comprobare opus sit, sed ut observetur quam late usus formarum apud antiquos pateat quantumque homines communi consuetudine teneantur; non ut quae cum forma conveniant quae non conveniant discernamus, sed ut omnium harum rerum indolem atque originem pernoscamus et sicubi ordo non is est qui ex forma sequitur eo magis in causas inquiramus, quae gravior quaestio est et maioribus implicata difficultatibus quam si quis in deprehensis exemplis meridianis ut ita dicam acquieverit.

ut paucis quae restant significem, de forma Urbis Romae quae dicenda videbantur expedivimus, de Mirabilibus Graphiis variis monumentorum et locorum catalogis et descriptionibus paganis et Christianis (cf. Urlichs codex topographicus 1871) agere non licuit, sed quomodo variis rationibus interdum ordo topographicus immutetur neque tamen ita obscuretur ut dignosci nequeat et exemplo Notitiae XIV regionum de qua pluribus disputatum est comprobavimus et in Vaticano vidimus. ut alia quaedam addam, aliter disponunt qui prospectum quendam amoenitate situs celebrem describunt, ut Martialis de monte Mario dicit 4, 64

hinc septem dominos videre montes
et totam licet aestimare Romam,
Albanos quoque Tusculosque colles sqq.

aliter qui certum locum oculis subiciunt velut in Libro ystoriarum Romanarum Hamburgensi (Archivio di storia patria 12, 198) citerior est pyramis Cestii cum nomine ‘sepulcrum Remi’ et ante eam Romulus Remum occidens cernitur, alia eius generis exempla antiqua sunt fragmentum Hateriorum et carceres qui sunt in Foro Romano (alia apud Lange Papstesel p. 28 sqq.). atque talia ad formae directionem proiecta non esse apparet.

deinde agendum erat de reliquarum urbium formis, XIV regionibus Urbis Constantinopolitanae Romae novae, aliarum quarum forma aliquo modo ex antiquis locorum notitiis refingere licet; tum de Italiae et imperii Romani descriptionibus et variis rerum quas supra commemoravi laterculis, quorum ordo propter multas rationes multis modis variatur, nam alius est ordo topographicus, alius temporum, alius dignitatis et existimationis, alius politicus et qui ex rebus administrandis sequitur (ut videre est in nostris Borussiae provinciis et nostris legionibus), in his etsi casui quoque sua tribuenda erunt quo minus ordo ex forma pendebit, eo gravior quaestio erit qui ordo fuerit et quibus rationibus constitutus. porro de studiis veterum et libris chorographicis qui fuerunt inde a choro-

graphia Augusti et Agrippae commentariis, de cosmographiis et ceteris opusculis geographicis quorum argumentum formis tam cognatum est ut nisi spatio prohiberer ilico rem aggredi vellem.


formarum etiam quae praeter eas quas tractavimus fuerunt varia genera distinguenda sunt, ut agrorum et aedificiorum sim. quae suam, non caeli rationem et directionem secuntur (exempla antiqua post Iordanum composuit Huelsen bullet. dell' instit. 1890 p. 46. 304); suum ordinem constituunt formae nautarum sive peripli quibus proiectio nulla inesse solet (ut portulani q. d. medii aevi et tabulae loxodromae quae inde ab inventa acu magnetica factae sunt, cf. Th. Fischer p. 60 sqq.), velut Plinius cum in Italiae descriptione ordine eo qui litorum tractu fit i. e. periplo utatur, regiones Augusti quas ipse fuisse testatur inverso ordine persequitur. cum his aliquo modo coniunctae sunt tabulae ventorum, quarum multa exempla apud scriptores reperiuntur (cf. Kaibel Herm. 20, 579), in quarum dispositione tamen cum ad caeli regiones exigi soleant formae quae cuique usitatior erat vestigia facilius apparent. item in itinerariis (ut in nostris horariis viarum ferrearum) prout viatori commodius evadere videtur singula itinera modo hac modo illa directione describere et inter se conectere solent, forma autem si additur morem communem sequitur. quo pertinet celeberrima tabula Peutingerana (cf. Miller Weltkarte des Castorius 1887) quae cum certam proiectionem habere non videatur, tamen more haud solito ita distributa est ut a sinistra Gades, a dextera Antiochia posita sit, medium inter utramque urbem locum Roma teneat. his adiungam itinera (ut Horati iter Brundisinum) et quae his similia sunt velut 'viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt' Liv. 38, 28, quibus tamen de formarum directione nihil efficitur. porro ipsae formae multum interest quomodo confectae sint, nam aliter disponitur quae est in pariete, aliter in pavimento quod circumeas, aliter quae quadrata est, aliter quae in orbis modum pingitur cui veteres nomina ita inscribere solebant ut quoquo velles formam vertere posses, aliter quae libro inseritur aliter quae marmori inciditur, aliter si cui terra plana esse videtur aut agrimensori, aliter si sphaeram eam esse novit.' denique formae medii aevi quotquot exstant examinandae et omnia quae continent diligenter excutienda sunt, quae etiamsi ad orientem plerumque conversae sunt, tamen totae manaverunt ex antiquorum doctrina et ex antiquis exemplis ita derivatae sunt ut originem plerumque dispicere possis.

iam sequitur naturalis ut ita dicam modus regiones designandi, quo ex situ et natura locorum, montium et fluminum superiora et inferiora discernimus ('postea apud quosdam limites nomina a loci natura acceperunt et qui ad mare spectant maritimi appellantur, qui ad montem montani' Hygin. grom. p. 168), ut superior quoque videtur pars qua sol oritur, inferior qua vergit, unde mare superum et inferum quod Romani dixerunt, nos hodieque orientem et occidentem hoc ordine coniunctos dicere solemus. deinde varius ordo est secundum mores populorum, nam alium fuisse Graecorum alium Romanorum vidimus atque quae de forma Romana supra observavimus eadem quomodo apud Graecos et ceteras gentes antiquas, ut his finibus nos contineamus, se habuerint quaerendum erit. sed ut sit eadem forma qua utuntur, tamen 'aliter Aegypto, aliter Hispania, non eodem modo Ponto, dissimiliter Romae, item ceteris terrarum et regionum proprietatibus' (ut Vitruvi verba 6, 1 mea faciam quae ipsa suo ordine ostendunt formam Romanam), suam quisque terrae et ceterarum nationum imaginem mente fingit et iure quaesiveris quo-

modo variis quae fuerunt formarum generibus et situs quem inter se populi habuerint et locus quem alius alii tribuerit mutatus sit. item aliter rerum ordinem comprehendit qui domi aliter qui peregre degit; de Italia cum cogitamus oculi ita ad meridiem convertuntur ut paene more Romano illas regiones intueamur.

tum alia quoque animadvertenda erunt, velut qui usus scripturae fuerit (ut in forma Serviana et in Homero vidimus), qui vulgaris loquendi modus cum dextra et sinistra, supra et infra quae sint distinguantur; imagines etiam quibus singulae terrae aliis rebus comparantur, velut quod antiquis Italia folii quercini figuram habere videbatur (aut 'platani folio simillima' Peloponnesus), nobis cruri similis esse dicitur diversam utrumque reddit et antiquae et nostrae formae speciem. verbo tangam locorum descriptiones quae sunt aut apud rerum scriptores aut in artis monumentis, picturis anaglyphis nummis, aliis rebus et symbolis quibus ad designandas regiones alii aliter utuntur cuius generis multa contulit Reinganum Gesch. der Erd- und Länderabbildungen der Alten I 1839 post quem pauci in hoc campo operam dederunt.

iam antequam disputandi finem faciam, de scriptoribus antiquis pauca addenda sunt, ut peculiarem quem in his quaestionibus tenent locum et singularem usum quem praebituri videntur ostendam. taceo formas quarum ipsi expressis verbis mentionem faciunt aut quae amplioribus descriptionibus geographicis fundamento fuerunt, sed memineris velim eorum quae scriptoribus, locorum Urbis cum recordarentur, eo quae ex formae specie atque proiectione sponte nascitur ordine quasi insciis excidisse vidimus ut quae in forma superiora essent inferioribus praemitterent, sinistra iis quae a dextra parte iacerent — eadem in componendis terrarum locis apud omnes fere scriptores fieri videmus, cuius rei plurima sunt exempla, Vitruvium commemoravi, pauca speciminis instar mox afferam. etenim ea est formae qua utimur animis inhaerens atque insedens imago ut vel inviti a communi dispositione pendeamus, ordinem quem consuetudo formae mentibus infixit sequamur. itaque multi quos dixi scriptorum loci ipsa forma quam exploravimus egregie illustrantur, sed quod multo gravius est, ipsi scriptores iam praestantissima nobis offerunt auxilia ad formas quae quoque tempore et apud Romanos et apud Graecos in usu fuerunt cognoscendas et redintegrandas. his rebus quarum praeclaram utilitatem nemodum suspicatus esse videtur adiuti notionum geographicarum quae inde a primordiis litterarum exstiterunt historiam contexere neque solum qua via ars et scientia processerit et quam quisque mente habuerit mundi imaginem cognoscere, sed etiam quae vulgares populorum opiniones fuerint, quam vim in vita humana habuerint et usu et quomodo rectius iudicium paullatim pervulgatum sit perspicere possumus. exemplorum ex quo primum multis abhinc annis animum strinxit — nequedum de forma quae talibus subesset cogitavi — veterum oculos mirum quantum in meridiem converti solitos esse, magnam molem congessi quorum ne graviora quidem hoc loco delibare iam licet. sed in his quoque ne veteres suis formis tamquam adstrictos fuisse censeamus multarum rerum quibus ordo variatur ratio habenda est, nam ut iam supra monuimus alius alio ordine nomina locorum coniungit sive formam et usum communem sequitur nulla alia re intentus, sive tempora et rerum memoriam sive dignitatem et magnitudinem respicit, alius est ordo vulgi alius virorum doctorum, alius naturalis alius qui religione sacratus videtur, aliter describit qui ipse meminit, aliter qui libros consulit ut multi Romanorum dum Graeca exempla secuntur in Graecorum mo-


IMPERIVM ROMANVM
[a Diocletiano divisum in Praef. Orientis: Dioc. I Aegyptus II Oriens III Pontus IV Asia V Thracia Praef. Illyrici: VI Macedonia VII Dacia Praef. Italiae: VIII Italia IX Illyricum X Africa Praef. Galliarum: XI Gallia XII Hispania XIII Britannia]

rem incidunt, — et mirum sane in his rebus veteres non offendisse, Graeca et Romana exempla eodem tempore in usu fuisse — aliter cui bene disposita mens est, aliter cui omnia confuso ordine succurunt, denique suo quisque modo in orbis situ intuendo et exprimendo utitur. unde tot et tam varia discrimina ut prudentioris ingenii hominibus tota haec quaestio abicienda forsitan videatur, quam equidem eo graviorem esse existimaverim quod suam cuiusque scriptoris naturam atque indolem quasi deprehendere licet. verum quod gravissimum est his rebus inducimur ut de origine cognitionum humanarum quaestionem instituamus. nam nos diuturna consuetudine ita subiungimur ut quae sint elementa quae postea inventa vix distinguamus, eo autem litterae antiquae prae ceteris insignes sunt, quod ab originibus propius absunt. quae de formarum origine supra paucis significavimus, eadem in omnibus et cognitionibus et institutis ac moribus consideranda sunt; ad principia et elementa cognitionis mathematicae exploranda quid antiquissimae Graecorum scriptorum reliquiae valeant, alio loco ostendam.

interim dum haec aut mihi aut alii fusius tractare continget rem ipsam demonstratam esse volui, lineamenta proposui. sed cum nisi ipsa forma meridiana oculis subiecta rem uno obtutu comprehendi et eam quae antiquis usitata fuit formam animo repraesentari atque quasi infigi non posse intellegerem ut in formae antiquae familiaritatem nos insinuaremus periculum saltem faciendum esse duxi ut eius formae primum exemplum qualecumque paratum esset quod infra exhibui, tamen quoniam ipsi scriptores ex nostris formis facilius iudicari posse videbantur potius Kieperti tabulam inverso ordine repetendam curare quam novam temptare malui.

itaque ut exemplis quae promisi paucis defungar, nos cum terrarum regiones describimus nostras formas secuti dicimus

vom letzten fernen Posten
der an die Dünen branden hört den Belt,
der in der Etsch fruchtbare Thäler sieht

cuius rei exempla quivis recordabitur. cantant inter pocula iuvenes nostri studiosi

zwischen Frankreich und dem Böhmerwald

cantavit poeta Anacreonteus 13

εἰ φύλλα πάντα δένδρων
ἐπίστασαι κατειπεῖν,
εἰ κύματ᾿ οἶδας εὑρεῖν
τὰ τῆς ὅλης θαλάσσης,
σὲ τῶν ἐμῶν ἐρώτων
μόνον ποιῶ λογιστήν.
πρῶτον μὲν ἐξ ᾿Αθηνῶν
ἔρωτας εἴκοσιν θές . .
ἔπειτα δ᾿ ἐκ Κορίνθου
θὲς ὁρμαθοὺς ἐρώτων·
᾿Αχαΐης γάρ ἐστιν,
ὅπου καλαὶ γυναῖκες.
τίθει δὲ Λεσβίους μοι
καὶ μέχρι τῶν ᾿Ιώνων
καὶ Καρίης ῾Ρόδου τε
δισχιλίους ἔρωτας . .
οὔπω Σύρους ἔλεξα,
οὔπω πόθους Κανώβου,
οὐ τῆς ἅπαντ᾿ ἐχούσης
Κρήτης ὅπου πόλεσσιν
῎Ερως ἐποργιάζει.
τί σοι θέλεις ἀριθμῶ
καὶ τοὺς Γαδείρων ἐκτός,
τῶν Βακτρίων τε κ᾿ ᾿Ινδῶν
ψυχῆς ἐμῆς ἔρωτας;

cantavit suavissimus poeta Augusti familiaris Horatius qui cum c. 1, 28 Archytam laudet maris et terrae numeroque carentis arenae mensorem, qui animo rotundum polum percurrerit, 1, 22 de curru nimium propinqui solis vulgaria refert et secum ipse pugnare videtur (cf. Vivien de St.-M. p. 169), in describenda autem terrarum et urbium situ totus pendet ab Orbe Romano et meridiano, c. 1, 7

laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen,
aut Epheson bimarisve Corinthi
moenia, vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
insignes aut Thessala Tempe.
sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
carmine perpetuo celebrare et
undique decerptam fronti praeponere olivam.
plurimus in Iunonis honorem
aptum dicet equis Argos ditisque Mycenas.
me neque tam patiens Lacedaemon
nec tam Larissae percussit campus opimae
quam domus Albuneae resonantis
et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
mobilibus pomaria rivis

idem 2, 2

latius regnes avidum domando
spiritum quam si Libanum remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
serviat uni

nam ita scripsit, aut epod. 9

et Chia vina aut Lesbia
vel . . metire nobis Caecubum

aut 2, 20

visam gementis litora Bospori
Syrtasque Gaetulas canorus
ales Hyperboreosque campos.
me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
noscent Geloni, me peritus
discet Hiber Rhodanique potor.